Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Wölfflin

Poenitentia Tyriorum, Et Sidoniorum Sub Conditione Praevisa; Matth. XI. v. 21. 22. : Quinque Exercitationibus Academicis expensa a Christophoro Wölfflin/ S.S. Th. D. & P.P.

Tubingae: Reisius, 1665

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0001
DFG

52b. 6.

179 p 1. Obligatio Credendi in Xristum. D. W. ff.
208 p 2. Lapsus Adami. D. W.
100 p 3. Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum. D. W.
140 p 4. Vindiciæ veritatis adversus Jaurinenses. D. W.
424 p 5. Mart: Lutherus à 7. Xaracteribus Tor: vindicatus. D. N.
23 p 6. Umbellæ somnium D. Nic.
Ep. 275 p 7. Quatuor Quæstiones Controversæ. D. Nic.
Pr. 220 p 8. De Fide Justificante. D. Nic.
Sect. 162 p 9. Disput: D. Nicol: de Communicatione Idiomatum

Fa – 1092 (89.)

Si fractus illabatur Orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0004
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0006
DFG

POENITENTIA
TYRIORUM, ET SIDONIORUM
SUB CONDITIONE PRÆVISA;

Matth. XI. v. 21. 22.

Quinque Exercitationibus
Academicis

expensa

à

CHRISTOPHORO Wölfflin/
S.S. Th. D. & P. P.

TUBINGÆ,
Typis JOHANN-HENRICI REISI,
ANNO M. DC. LXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0007
DFG

Series Exercitationum, & Respondentium.

I. De naturâ Pœnitentiæ Tyr. & Sid. subconditione prævisæ.
Resp. M. Daniel DuVernoy, Hericuria-Mompelgard.

II. De causis generaturis istam Pœnitentiam.
R. M. Johannes Schmid, Balingensis.

III. De prævisione illius Pœnitentiæ.
R. M. Joh. Jacobus Glöckler, Stutgard.

IV, De Defectu Virtutum Christi inter Tyrios & impœnitentia Galilæorum.
R. M. Petrus Längerer, Uracensis.

V. De judicio lato, tum super Tyr. & Sid. tum Galilæos.
R. M. Laurentius Beerlin, Göppingensis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0008
DFG

IN NOMINE JESU.

EXERCITATIO I.

De

POENITENTIA TYRIORUM ET SIDONIORUM.

Ex Matth. XI. vers. 21. 22.

VIndicias sanè poscere videtur *sermo exprobratorius*, quo Christus Salvator optimus, in cujus Labiis aliàs diffusa est gratia, invectus est in civitates, & verbi prædicati Lumine, & virtutum splendore, nullâ tamen pœnitentiâ insecutâ, collustratas. Quamvis enim vellemus, nostros *adversarios*, qui partim in reproducendo *Pelagianismo*, partim in firmando *decreto absoluto*, quod propriis suis defensoribus horribile videtur, nimis solliciti sunt, secutos esse gravissimum de hac Pericope judicium magni Chemnitianæ Harmoniæ Continuatoris, *D. Policarpi Lyseri*, quia verò hæc invectiva variis subjecta est detorsionibus, errorique non uni cogitur inservire, nec nos prælaudati Doctoris πίκρισις absterrere debet, quo minùs Pericopen illam reassumamus, & ab obliquationibus frivolis vindicemus, cùm satis superque constet, *nostros Theologos*, eosque non infimi subsellii contra hostes veritatis hoc testimonio non infœliciter usos esse, idque ab eorum insultibus vindicasse; *Spiritus tuus, ô Domine, nos in omnem veritatem ducat.*

THESIS I.

PRimum *punctum*, quod hâc vice expendemus, *qualisnam fuisset pœnitentia Tyriorum*, si quidem miracula Christi vidissent, tangunt partim *Reformati, cum Dominicanis*; partim *Pontificii, & Jesuita.*

suitæ. *Calvinianos* quidem vertiginis spiritu agi, præsens locus satis evincit, quamvis enim eo abutantur, dum *universalitatem gratiæ vocantis*, omniumque salutem seriò intendentis impugnant, & absolutum rejectionis decretum stabilire volunt, sicque *per consequentiam* minimè coactam pœnitentiam Tyriorum non nisi pro *verâ & sincerâ conversione* agnoscere teneantur; tamen dùmurgentur à suis Adversariis, quod non omnia decreta DEI sint absoluta, nec prævisio Divina causa sit & radix præscitarum rerum, navim mox obliquant, pœnitentiamque quam egissent Tyrii, non nisi pro *externâ, hypocriticâ, minusque salutari* habent, ad quam agendam non opus fuerit gratiâ supernaturali & Divinâ, cùm viribus naturæ potuerit præstari. Sic solent illi, qui κρησφύγετον, sub quo latent, minùs tutum existimantes, continuò aliud arripiunt, ubi securiùs se latituros confidunt. *J. Camero* in Σωζομένοις p. 114. agit de *variis Christi locutionibus*, adducensque hyperbolarum exempla, secundo loco ponit verba ista; *Si in Tyro & Sidone signa edita fuissent, &c.* additque, *hyperbole haud dubiè est, cujus sententia simplex hæc est, Tyrios & Sidonios multò minus graviter peccasse, quam Chorazitas & Bethsaiditas, itaque fore, ut & minùs graviter plectantur, qui secùs sentiunt, necesse est, ut primùm probent Christum non solitum esse uti hyperbolis, aut genus hoc loquendi non esse idoneum, & accommodatum ad animos hominum convertendos.* Tres deinceps subjungit rationes, quæ tamen commodè *ad duas* referuntur, quibus probat locutionem hanc esse hyperbolicam, *quia si non statuatur hyperbole, sequatur, conversionem Tyriorum & Sidoniorum esse tribuendam externo Objecto, non efficaciæ, & energiæ Spiritus aperientis cor; miraculis & signis, non prædicationi Evangelii, cum non hujus, sed illorum h. l. facta sit mentio;* comparationem quoque instituit, dicitque *esse hic locutionem, sed popularem tamen & accommodatam ad captum populi; sicut homines præfractos solemus Diabolis dicere peiores, cùm tamen nemo meritò nos mendacii possit accusare, vel nobis errorem tribuere, quasi homines existimemus Diabolis pejores.* *Voetius* p. 1. disp. select. p. 287. asserit, *minimè damnandum esse istorum Doctorum laborem, & conatum, qui statuunt verba Christi, si in Tyro, &c. non esse sumenda in rigore suo, sed tantum prout satisfaciunt scopo Christi, qui ibi sit exag-*

exaggerare ſummam iſtorum Galilæorum contumaciam, & duritiem, quod quidem hîc faciat hyperbolicâ quadam formulâ, ut Luc. 19. v. 40. *quæ tamen neceſſariam non inferat conditionis cum ſuo conditionato connexionem; nam &* Luc. 19. *Salvator ait, ſi hi ſilebunt, lapides clamabunt, cùm tamen in lapidibus nulla omninò eſſet diſpoſitio, aut potentia, niſi obedientialis, ut ceſſantibus diſcipulis ipſi in laudes Chriſti erupturi fuiſſent.* Quamvis autem putet *Voetius*, hanc reſponſionem defendi poſſe, aliam tamen arripit, laudatque explicationem *Ruperti* Abbatis Tuitienſis, qui non niſi *externam pœnitentiam*, quam fuiſſent acturi Tyrii & Sidonii, h. l. intimari ſtatuerit, indicaveritque, ideò illis non fuiſſe ſigna talia divinitùs procurata, *quia pœnitentiam acturi fuiſſent ad temporales tantum pœnas evadendas, & non æternas.* Eſtque hæc ſententia quoque *Twiſſi* in diſſert. de ſcientia med. p. 169. ad quem cum *Voetio* provocat *J. Strangius* l. 3. de Vol. DEI circa pecc. p. 745. ubi hæc habentur. *Nos potius accedimus ad eorum ſententiam, qui dicunt non intelligi hîc veram & ſpiritualem pœnitentiam Tyriorum, ſed ejusmodi tantùm diſpoſitionem, & externa pœnitentiæ ſigna, quæ homini ψυχικῷ convenire poſſunt, qualis erat Achabi, & Ninivitarum Pœnitentia.* Approbat quoque ſententiam hanc *P. Molinæus* in Anat. Armin. eamque probat exindè, *quia Tyrii & Sidonii non pertinuerint ad electionem DEI, nunquamque converſi ſint.* Eſt ergò *Reformatorum ſententia* duplex, vel intelligenda eſſe hæc verba in *ſenſu hyperbolico*, quo duæ res impoſſibiles comparantur inter ſe, diciturque altera fore, non quod futura ſit, ſed quod facilius futura aut minus impoſſibilis ſit, quam altera, exponente hoc *J. Strangio* l. c. vel intimari *pœnitentiam hypocriticam & externam viribus naturalibus præſtabilem;* ad duplex hoc reſpondendi genus confugere *Dominicanos* quoque docet *Matth. Boruſſ.* tract. de ſcientia media diſp. 6. ſect. 2.

II.

Pontificios, quod concernit, provocare ſolent illi ad præſentem textum circa Doctrinam *de Pœnitentiâ*, concedunt quidem, imò vi conſequentiæ, quam inferunt indè, concedere tenentur, agi h. l. de verâ pœnitentiâ, ſed hoc non contenti ulteriùs progredimur, putantque τὸ μετανοεῖν notare *dolorem externum, ac pœnam*

ex interna conversione profectam; Bellarm. l. 1. c. 7. de Pœnit. sequentia habet; *Sed veniamus ad græcam vocem μετάνοιαν, de qua potissimùm controversia est,* Matth. 11. Luc. 10. *si in Tyro, &c. Apud utrumque Evangelistam est vox μετενόησαν, quam omninò absurdè Beza reddidit, resipuissent. Quid enim est in cilicio & cinere sedendo resipiscere? Certè resipiscentia, si propriè accipiatur, saccum & cinerem præcedit, nemo enim saccum induit, & in cinere sedet, nisi antea resipuerit. Dominus autem actionem pœnalem significat, quæ tùm assumitur & exercetur, dum quis mœstus & dolens in sacco & cinere sedet. Utique μετενόησαν eo loco nihil aliud significare potest, nisi corde simul & corpore aversari peccata præterita, & vindictam de illis à semet repetere.* Hoc ergò volunt *Pontificii*, Pœnitentiam esse *actionem pœnalem & vindicativam*, idque intimari h. l. non solùm per vocabulum *μετενόησαν*, sed & per *cilicium & cinerem. Bellarminus*, ut intentum suum obtineat, ex aliis quoque locis argumentatus est, nominatim Job. 42. Joel. 2. 2. Corinth. 12. addito exemplo *Ninivitarum* dilaudato à Christo. Matth. 12. Luc. 11.

III.

Nostram sententiam ut exprimamus pauciſſimis, dicimus, verba hæc Salvatoris, si in Tyro, &c. *non esse hyperbolicè sumenda*, sed agere illa de *pœnitentia, quam revera egissent Tyrii & Sidonii*, si virtutes à Christo editas vidissent, eamque futuram fuisse *non externam & hypocriticam*, sed *veram & salutarem, non consistentem in actione quadam pœnali & vindicativâ*, sed *in contritione sincerâ, vivâque in Messiam fiduciâ*, descriptam à quibusdam signis & documentis, quibus se Pœnitentia subindè prodit. Hanc sententiam suam quoq; faciunt *Remonstrantes* in Act. syn. Dordr. c. art. 4. p. 121. seqq. *Trimembris* est assertio hæc, nos quoad singula membra eandem probabimus, & ab exceptionibus Adversariorum vindicabimus.

IV.

Primum Assertionis nostræ *membrum* est hoc; *Verba Christi, de quorum sensu quæstio movetur, non sunt intelligenda hyperbolicè;* probatur hoc *ex ipsa natura ὑπερβολῆς*: dicitur ea à *Cicerone* l. 4. ad Heren. *Veritatis superlatio*, quâ veritas superatur rei au-

augendæ, vel minuendæ gratiâ; à *G. I. Voſſio* vocatur *ſuperjectio, notans exceſſum, ſive eminentiam,* definiturque quod ſit *Oratio augendo, vel minuendo ſuperans fidem.* Invenitur autem hyperbole vel *in verbis*, iisque vel *ſolitariè* vel *in phraſi conjunctim ſumptis*, vel *in tota oratione* ſive *illatione*; *priori* ſenſu *inſolentiorem vocum translationem* denotat; *candidior cygnis, melle dulcius, plus millies audivi, &c. poſteriori* complectitur *argumentum Topicum*, in quo verba propriè efferuntur, proponuntur autem ejusmodi illationes hyperbolicæ partim per *modum alicujus comparationis*, partim per *modum hypotheſeως cujudam.* Ita de *Saul & Jonathan filio* dicitur, quod *præ aquilis veloces fuerint.* 2. Sam. 1. v. 23. *de Edomitis* dicitur, quod ſi inter ſtellas poſituri ſint nidum, indè tamen deturbandi ſint. Obad. v. 4. copioſiùs iſthæc pertractata videre licet apud *Rhetores & Oratores*, inprimis verò in *Rhetor. ſacra D. Glaſſii*, qui totum cap. 19. Trac. 1. huic rei deſtinavit. Quod jam concernit noſtrum textum, *non* invenire licet in eo *hyperbolen Rhetoricam*, ſive enim *ſingula verba* ſeorſim, ſive *phraſis conjuncta* conſideretur, nulla occurrit inſolentior, vel audacior vocis ſive unius, ſive plurium traductio, à nativo ſenſu in alium, nec judicamus pro ejusmodi hyperbole hic pugnaturum eſſe ſive *Cameronem*, ſive quemvis alium; ubi enim non habet locum *tropus*, ibi nec locum habere poteſt *tropi affectio*; improbabile præterea eſt, ſermonem eſſe figuratum, ubi communis vocum uſus aliud clamat. Neque obſervare licet in hac ſententia hyperbolen *logicam & illativam*; non negamus, denotari & exaggerari ſummum & extremum gradum incredulitatis, quod gratiam abundantiſſimè oblatam contempſerint Chorazitæ & Bethzaiditæ, per comparationem inſtitutam inter eos, & Tyrios, Sidoniosque; non negamus, *hypothetico* argumentandi genere uſum eſſe Chriſtum, per allegationem effectus, quem habituræ fuiſſent virtutes ejus inter Chorazitas & Bethzaiditas factæ apud Tyrios Sidoniosque, modò inter eos factæ fuiſſent, demonſtrando & ob oculos ponendo, tùm *gratiæ collatæ abundantiam*, tùm Chorazitarum & Bethzaiditarum *extremam pertinaciam*; ſed hoc negamus, Pœnitentiam ex parte Tyriorum & Sidoniorum ſub conditone virtutum Chriſti inter eos factarum

insecuturam esse referendam inter *impossibilia*, prout impossibile est, ut in sensu stricto *Saul & Jonathan* potuerint esse *velociores aquilis*, Edomitæque nidum suum ponere inter stellas; nam per virtutes Christi accedente præprimis doctrinâ ejus flectcordiâ, editis istis signis confirmatâ & roboratâ, aliquem converti posse, non fuit res impossibilis, imò *hunc in finem* factæ sunt inter Chorazitas & Bethzaiditas, ut per eas converterentur; Si autem hi converti potuerunt per virtutes istas, Christusque faciendo eas intendit illorum conversionem, cur pro *impossibili* prorsus sit habenda conversio Tyriorum oriunda ex istis virtutibus, videre non licet. Etsi *Augustino* judice, in scriptura ad figuras confugiendum non est, nisi id imperet necessitas, etiam ad hyperbolen logicam h. l. deveniendum non est, quia itidem nulla id imperat necessitas, *non enim per tectum ingredi debemus, cum nullo negotio per januam introire licet*, sunt verba *T. H.* à nobis hac in parte dissentientis, cum aliis nonnullis ex nostris Doctoribus.

V.

Contrarium non evincunt rationes allatæ *à Camerone*, nec potuerunt eæ movere, vel *Voetium*, vel *Strangium* ad assensum præbendum; de isto enim hyperbolico sensu & vulgari loquendi modo, qui *Jansenio* quoque in *Conc. Evang.* arrisit, scribit ille, sed *hæc expositio longius recedit à verbis, quæ si propriè accepta commodum sensum habere possunt, non est quod à proprietate verborum recedamus*; iste verò expresè fatetur, quod responsio illa de hyperbolico sensu verborum Christi sibi *in totum non placeat*, & quamvis putet, posse eandem defendi, contra adversariorum insultus, scribit tamen, *se non videre rationem, quare in hoc loco sequi non possimus explicationem Ruperti Abbatis Tuitiensis*, qui de pœnitentiâ solùm *externâ* hoc in loco agi statuat. Occurrit autem in discursu *Cameronis* & complicum. 1. *Manifesta principii petitio*, dicit, ideò hyperbolen locum hic habere, quia sententia verborum Christi simplex hæc sit, Tyrios & Sidonios multò minùs graviter peccasse, quam Chorazitas & Bethsaiditas, itaque fore, ut & minùs graviter plectantur; At posito, hanc esse *simplicem sententiam* verborum Christi, adhuc tamen manet quæstio, an locutio hæc sit hyperboli-

bolica, non enim impossibile est Tyrios & Sidonios potuisse converti beneficio gratiæ abundantis, oblatæ Chorazitis & Vicinis, si eandem habuissent, quod ad hyperbolen requiritur, sicut in superiori exemplo *ex. 2. Sam. 1.* allegato sententia simplex hæc est, Saulem & Jonathanem fuisse velocissimos, promptos & expeditos ad res gerendas, falsum autem & impossibile est in sensu proprio, & stricto, illos fuisse velociores Aquilis, inde est quod *omnis hyperbole quædam mendacii species videatur, magis rem extollens, quam in rei veritate est*, hinc *Seneca* hyperbolen vocat *figuram ad verum mendacio venientem*, quamvis pro mendacio *propriè* sic dicto haberi non debeat. Si vero dabilis fuit pœnitentia ex parte Chorazitarum, præsuppositis virtutibus Christi in medio illorum factis, cur non potuerit locum habere *apud Tyrios & Sidonios*, præsuppositis itidem ejusmodi miraculis Christi, capere non possumus. Nimis autem præcipitanter agit *Camero*, dum à diffidentibus requirit, & quidem non simpliciter, sed sub *gradu alienjus necessitatis*, ut probent Christum non solitum esse uti hyperbolis, aut genus hoc loquendi non esse idoneum ad animos movendos; nam licet concedamus, prout omninò concedi debet, & *Christum usum esse hyperbolis*, & esse *modum* hunc loquendi *accommodatum* ad homines movendos, nondum tamen obtinuit, Christum *hoc in loco* usum esse hyperbole; Si hos argumentum procedit, Christus usus est hyperbole, dùm functus est officio prophetico, estque is agendi modus commodus ad homines movendos; Ergò *Matth. XI. v. 21.* datur hyperbole; consimiliter ego inferam, hyperbolen esse *in v. 28.* ejusdem *cap. venite ad me omnes &c.* Non ergò hyperbolicum loquendi modum vel ex Scripturâ eliminamus, vel taxamus, sed negamus solùm eundem habere locum *circa nostrum textum.* Opponi interim potest hoc, quod urget Camero *Pareo*, qui *in Gen. 11. & 13.* negat in Scripturis dari hyperbolen, quia sit species mendacii, nulloq; modo possit DEO tribui, quem sequutus esse videtur quidam inter nostrates Theologos *B. M. in Antrop. Dec. 1. d. 5. par. 4. Qui hyperbolicam orationem DEO adscribunt, viderint, ne ipsum mendacem faciant, & blasphement.* Interim hyperbolen locum habere in sacris, communiter à nostris

Theo-

Theologis afferitur, videatur *Glassius* loc. cit. Th. Hakspan. l. 2. misc. c. 4.

VI.

2. *Rationum infirmarum productio;* hyperbolen hic militare exinde probat, quia impossibile sit conversionem oriri ab *externo objecto, & miraculis*, cùm dependeat à prædicatione Evangelii & efficaciâ Spiritus Sancti. De causis generaturis pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum agemus *seq. Exercit.* hoc interim reponimus, hanc consequentiam *non* agnosci *à contribulibus Cameronis*, si conversio dependet non ab externo objecto, & virtutibus, sed ab Energiâ Sp. S. sequitur, verba Christi sumenda hyperbolicè; aliam enim illi substituunt consequentiam, sequi scil. *agi hic non de Pœnitentiâ salutari, sed hypocriticâ saltem & externâ*, quibus καὶ ἄνθρωπον præmissis hoc subjungimus, aut *non nudè & simpliciter* agi hic de miraculis Christi, sed quatenus considerantur cum tacitâ *complicatione doctrinæ*, utpotè quæ virtutibus istis fuit confirmata, & ad quam se habuere miracula, ut aliquod *accessorium ad suum principale*: aut agi de *motivo externo*, quod DEUS non curiositati, non humanæ semper utilitati, sed *necessitati* ordinariâ virtute insuperabili perfringendæ vult *ancillari*, licet in se & per se semotis aliis causis effectum Pœnitentiæ & conversionis producere nequeat.

VII.

3. *Exemplorum allegatorum disproportio.* Confert verba Christi *Camero* cum vulgari sermone, quo homines dicuntur *peiores Diabolo. Voetius* quosdam dicit provocare ad *Luc. 19. si hi silebunt, lapides clamabunt;* at quivis facilè deprehendere potest *summam disparitatem*, nam quod primum attinet exemplum, constat de hyperbole, quia *impossibile est hominem malitiâ superare Diabolum*, malitia enim spiritus immundi est immobiliter fixa, comparateq; ad hominis malitiam maxima, non solum intensivè, sed & extensivè, si non semper formaliter, secundum effectum, aut actum proprium, tamen per *communicationem*, non enim datur peccatum ad quod se non extendat; & licet feratur in aliquod bonum, quod objectivè tale est, tamen in illud fertur non benè; potuisse autem converti Tyrios & Sidonios per illud medium, quod datum fuit Chorazitis & Bethsaiditis, licet hi conversi non fuerint,

supra

ſupra jam evictum eſt; *alterum exemplum* primariò ſapit προσωποποιΐαν, quâ lapides *figuratè* ut per ſonæ introducuntur, & quamvis hyperbole afficiat iſtum tropum, conſequentia tamen à loco Luc. 19. v. 40. ad locum Matth. 11. v. 23. non procedit, niſi probetur *impoſſibilitas ſubjectiva* admittendi ex parte hominum pœnitentiam, quam Deus per certa media vult in illis producere, qualem licet obſervare *circa lapides*, de quibus non conſtat, quod adhibitis ordinariis mediis Deus eosdem velit loqui vel clamare.

VIII.

Alterum aſſerti noſtri *membrum* eſt hoc; *Verbis Chriſti intimatur Pœnitentia non hypocritica, & externa, ſed ſalutaris & genuina;* probatur hoc 1. *ex ipſo textu;* quam Pœnitentiam Chriſtus Evangelium prædicatum multis ſignis, & virtutibus confirmando *intendit* producere apud Chorazitas & Bethzaiditas, & ob quam non habitam prædicti Galilææ incolæ culpantur & damnantur, illa Pœnitentia eſt vera, & ſalutaris. Atqui Pœnitentiam, quæ ſecuta eſſet apud Tyrios & Sidonios, ſi inter eos factæ fuiſſent virtutes Chriſti, Chriſtus Evangelium prædicatum virtutibus & ſignis multis confirmando, intendit producere in incolis præfatis, qui culpantur à Chriſto ob pœnitentiam non ſecutam. Ergò: *Minor Propoſitio* habetur in ipſo textu, in quo malè exprobraretur Galilæis iſtis, quod viſis virtutibus in confirmationem verbi Evangelici patratis manſerint impœnitentes, ſi Chriſtus *non eâ intentione*, eo animo & fine virtutes iſtas edidiſſet, ut converterentur. *Major* negari non poteſt, *niſi* velimus ſtatuere, *Chriſtum* pro *ſcopo & fine* miraculorum confirmandæ Doctrinæ ergò factorum habuiſſe *non veram pœnitentiam*, ſed ſimulachrum Pœnitentiæ; conſtat præterea neminem culpari vel *damnari* ob *non actam pœnitentiam hypocriticam* & externam, ſed ob neglectum pœnitentiæ veræ & ſalutaris; & ſi incolæ Galilææ, per pœnitentiam, quam non egerunt, fuiſſent æternùm ſalvati, ſi eandem, prout vi gratiæ oblatæ potuiſſent, egiſſent, propterque hujus pœnitentiæ neglectum culpantur & damnantur, ſequitur utique ſalvificam intimari in noſtro textu pœnitentiam, dum eam quam non egerunt Chorazitæ & Bethzaiditæ, dicuntur acturi fuiſſe Tyrii & Sidonii, præſuppoſito, inter eos

 fuiſſe

fuisse peractas, quæ inter istos factæ sunt, virtutes. 2. Probatur Assertio nostra ex ipsâ *delineatione pœnitentiæ*, quam egissent Gentiles isti, si vidissent virtutes Christi; describitur ea *à signo externo* occurrente in oculos; quamvis autem signa ejusmodi externa *non semper* adhibeantur in Pœnitentiâ, cùm aut quotidiè nos deberemus volutare in cinere, aut non indies nobis pœnitentia esset agenda, sæpiusque *symbola ista fallant*, & absque interno cordis affectu esse possint in hypocritis, ut constat exemplo *Achabi*, tamen non insuetum, describi veram pœnitentiam mentione factâ signorum istorum, & hoc modo nobis repræsentatur pœnitentia *Jobi*, c. 42. v. 6. Joel. 2. v. 13. Hancque collectionem à signis istis ad veritatem pœnitentiæ semper procedere judicamus, *nisi ex contextu aliquo doceatur contrarium*, quod fit Matth. 5. Esai. 58. 1. Reg. 21. Cum itaque Pœnitentia Tyriorum repræsentetur per exercitium quoddam, & signum externum, *nullaque circumstantia imminuens* occurrat in toto contextu, ex quâ posset colligi, simulatam tantùm acturos istos Gentiles Pœnitentiam, talis etiam præsumenda non est; imò contrarium potiùs præsumi debet, quia pœnitentia hypocritica nullo cohonestari solet *singulari elogio*, quod tamen Christus pœnitentiæ Tyriorum non denegare videtur. 3. Probatur assertio ista ad *hominem*, exemplo *pœnitentiæ Ninivitarum*, cum hac enim comparari solet à *dissentientibus* ea, quam acturi fuissent Tyrii & Sidonii; Ninivitas verè & salutariter pœnituisse, quicquid contra statuat *Calvinus, Coccejus, Voetius, Strangius, aliique*, probamus sequenti argumento; Quicunque à Prophetâ divinitùs missо informati, *concione legali* de ascensu peccatorum suorum in conspectum DEI vindictam implorantium malum sibi imminere senserunt, & peccata sua *detestati* sunt, præterea *verâ fide* ad misericordiam DEI confugerunt, & remissionem peccatorum in *morte & resurrectione Messiæ* per Jonam submersum, & emersum repræsentatâ quæsiverunt, suamque pœnitentiam *studio novæ obedientiæ* testatum fecerunt, & *veniam* obtinuerunt, illi non possunt non dici verè & salutariter pœnituisse. At Ninivitæ ista omnia fecerunt. E. *Major* negari à Reformatis non poterit, cum positis omnibus *partibus & requisitis veræ pœnitentiæ*, qualia sunt, contritio, fides, nova obedientia,

&

& Condonatio, non possit non adesse vera pœnitentia. *Minor* patet ex *historia Jonæ* c. 3. aliisque Scripturæ testimoniis; adfuit *Contritio* sensum iræ divinæ, terroremque conscientiæ, dolorem, & detestationem peccatorum complectens; adfuit *vera fides*, dicuntur *credidisse in DEUM*, quæ phrasis adhibita in descriptione pœnitentiæ non nisi *de verâ justificâ fide* accipi potest; adfuit quoque *spes de misericordiâ* & aversione mali; fidem in Messiam habuisse Christus testatur, dum dicit Luc. 11. v. 30. Jonam *Ninivitis signum* fuisse, quod ipsum explicat de triduo mortis, & resurrectionis suæ, unde constat hoc mysterium Ninivitis fuisse revelatum à Jona, aliâs non potuisset dici, illis fuisse *signum*; adfuit *studium novæ obedientiæ*, dum recedunt moniti à Rege suo à viâ malâ, & à violentiâ quæ erat in eorum manibus. Si itaque pœnitentia Ninivitarum fuit vera, interna & salutaris, eique *suppar fuisset pœnitentia*, quam egissent *Tyrii & Sidonii*, consequens est, & hanc futuram fuisse veram & salutarem.

IX.

Quamvis autem oppositum non malo animo à *Reformatis* hactenus fuerit defensum, ut scil. obviam irent *Remonstrantibus*, & *Jesuitis*, pro viribus Liberi arbitrii, & cooperatione voluntatis humanæ in conversionis ὀπτελέσματα producendo, ex hoc loco concludentibus, obtinere tamen eorum sententia non potest, licet enim illis concederetur, agi hic de pœnitentiâ externâ saltem & hypocriticâ, quo obviam iretur *Semipelagianismo*, quem quidam hinc extruere student, nondum tamen incisus esset nervus argumento pro *præscientiâ futurorum* à prædeterminatione divinâ non dependentium, ex hoc loco à Jesuitis formato, de quo alibi erit agendum. Posse autem conatus Semipelagianizantium reprimi, positâ sententiâ de pœnitentiâ salutari, agnoscit *Twissius* p. 169. de scient. med. hæc habens; *licet futuram Tyriorum pœnitentiam præviderit DEUS, non tamen aliunde prævideret, quam ex dono suo, neque enim fieri potuit, ut resipiscerent, nisi hoc illis datum esset à DEO.* p. 428. *Ecquis enim sobrius affirmaret, Tyrios & Sidonios propensos fuisse ad actionem ejusmodi perficiendam, quam satis constat esse supernaturalem?* Dissentientes non juvat hâc in parte

vel *dependentia externæ fidei professionis*, & *pœnitentiæ à viribus naturæ*, vel *collatio pœnitentiæ Tyriorum cum pœnitentia Achabi, & Ninivitarum*; *prior* enim ratio quamvis in se sit sana, *nondum* tamen eam videmus *probatam* circa nostrum textum; vid. resp. ad 2. Camer. arg. th. 6. *posterior* collateralia facit, quæ maximè sunt *dissentanea*, pœnitentiam *Achabi* fuisse hypocriticam, non ex odio peccatorum in DEUM commissorum, sed metu & formidine pœnæ tantùm obortam concedamus, (de Achabi pœnitentiâ *veteres* in utramque partem disputarunt. *Gregorius* hom. 19. super Ezech. pœnitentiæ simulachrum; *Tertull.* veram fuisse volebat. *Remonstrantes* in Act. Synod. circa art. 4. p. 125. putant, nullam solidam rationem dari posse, quâ probetur, resipiscentiam Achabi pro isto tempore externam & hypocriticam, & non ex animo & corde profectam esse, DEUM enim *eam magno beneficio & præmio remunerari voluisse*, cum tamen certum sit, majore potiùs & graviore pœnâ eum puniturum fuisse, si simulatè & non sincerè se humiliasset coram DEO,) sed negamus talem fuisse, quam egerunt *Ninivitæ*, vel *eandem* dependisse à *viribus naturæ*, non gratiæ; & quomodo fingi potest, dependisse à viribus naturæ illam pœnitentiam, quam DEUS per *Verbum, Legem, & Evangelium* operatus est, utrumque enim verbum divinâ vi corda hominum convertendi præditum fuisse Ninivitis à Jonâ propositum, partim explicitè, partim per *legitimam consequentiam* asseritur in textu prophetico; Et si in hoc tertio quoque suppar judicatur pœnitentiæ Ninivitarum, ea quam egissent Tyrii, iterum patet, hanc non fuisse possibilem homini ψυχικῷ & animali. Interim non dubitamus, quin *Calviniani* pœnitentiam Ninivitarum pro verâ & sincerâ essent habituri, si non obstaret hypothesis de *fide inamissibili*; & huic nostræ præsumptioni favet *P. Molinæus* in Anat. Arminianismi c. 49. qui dicit; *non omnium Ninivitarum, sed maximæ partis Ninivæ pœnitentiam fuisse externam, ex metu pœnæ ortam, quod indicat ruina urbis mox consecuta*, Nah. 1. at ex ruinâ urbis malè concluditur, pœnitentiam Ninivitarum fuisse externam, longo enim tempore subsecuta est illa ruina, ut salvari, & in verâ fide interim decedere potuerint plurimi, quamvis negari non possit, partem potiorem.

rem apoſtataſſe. Ad rationes verò quibus probat *Molinæus*, non agi hic de ſalutari converſione, utpotè ſuo loco pleniùs examinandas, reponimus, minùs dextrè procedere collectionem, *à non converſione actuali, ad non ſeriam ad converſionem vocationem*, à non electione ad non collationem mediorum ad productionemveræ converſionis ſuâ naturâ divinâ intentione efficacium.

X.

Tertium & ultimum aſſertionis noſtræ *membrum* agit de *naturâ pœnitentiæ*, quam acturi fuiſſe Tyrii dicuntur; *Pontificii* explicant eam *de actione quâdam pœnali*, quâ qui pœnitentiam agit, *corpus ſuum affligat, & ita vindictam de peccatis ſuis à ſemetipſo ſumat;* Sententia noſtra eſt hæc, agi hic de *verâ cordis contritione, & fiduciali meriti Chriſti apprehenſione*, de reſipiſcentiâ *externis ſignis demonſtratâ;* probamus eam 1. *Ex contextu;* Si impœnitentia Galilæorum tam graviter notata, extremoque exitio digna judicata à Chriſto, conſiſtebat in *complacentiâ & approbatione peccatorum* cum animo *ea continuandi*, ut & in *contemptu Evangelii* de remiſſione peccatorum per Meſſiam obtinendâ, multis virtutibus corroborati, conſequens eſt pœnitentiam, de quâ h. l. agit Chriſtus non dicere rationem pœnalem, & vindicativam, ſed dolorem, deteſtationemq; peccatorum, nec non fiducialem gratiæ Evangelicæ applicationem. Atqui prius eſt verum. E. & poſterius. *Prius* patet ex textu, in quo Chorazitis, aliisque exprobratur ſumma ſecuritas, & contemptus gratioſæ per Meſſiam viſitationis; non enim ideò culpantur *præcise & formaliter*, quia non ſederunt in ſacco & cinere, ſed quia *non egerunt pœnitentiam*, οὐ μετενόησαν; Conſequentia negari non poteſt *propter oppoſitionem*, quæ eſt inter impœnitentiam, & pœnitentiam; Quamvis autem voci μετενόησαν hic adjectus ſit προσδιορισμὸς ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ, *non* tamen eſt *deſignativus actionis pœnalis, & vindicativæ* formam pœnitentiæ conſtituentis, ſed *expreſſivus veræ & genuinæ pœnitentiæ* verbo μετενόησαν intimatæ.

XI.

2. Quodcunque Vocabulum *ſtylo Scripturæ uſitato* tale deſignat medium, quod *intercedit* inter meritum Chriſti verbo prædicato

cato insinuatum, & remissionem peccatorum, *illud præsupponendo* & applicando; *hanc* ut effectum illius meriti actualiter obtinendum *post se trahendo*, illud attendendo ad usum Scripturæ *non* denotat *actionem* aliquam *pœnalem, & vindicativam.* At vocabulum μετανοίας stylo Scripturæ usitato tale medium designat, quod modo descripsimus. E. *Major* propositio patet, partim *ex naturâ meriti Christi*, quod à pœnitentiâ præsupponitur; partim *ex naturâ remissionis peccatorum*, quæ pœnitentiam, ut effectus comitatur vel sequitur; Meritum enim Christi quod attinet, est uti que illud *expiativum* peccatorum generis humani; vindicavit siquidem pater cœlestis in filio suo nostra peccata, utpote in quem fuere translata, eum enim qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus in eo justitia, coram DEO valens. 2. Corinth. 5. *passio ejus fuit vindicativa*, quia propter nostras iniquitates vulneratus est, & propter scelera nostra attritus, disciplina pacis nostræ super eum; vindicta hæc, quam pater requisivit à filio, expromissore generis humani, quamque filius sustinuit, non potest non esse omnibus numeris *absoluta*, & perfecta tam *respectu peccatorum* cujuscunque generis; tam *ratione pœnarum* quarumvis, non enim passione & morte suâ Christus solam à nobis avertit pœnam æternam, sed pœnam quamcunque; nec est beneficium à Christo manans *transmutatio pœnæ æternæ in temporalem*, sed ablatio ut peccatorum omnium, quæ sunt causæ pœnarum, ita & pœnarum omnium, de quibus, peccatis in totum & solidum condonatis, nihil restare potest, quamvis non cesset paterna castigatio. Si ergò *pœnitentia* locum habens in homine *præsupponit vindictam plenissimam* & infinitam filii DEI, utique *non poterit ipsa esse actio vindicativa*, & pœnalis, sed potiùs tale medium, quo adhibito, vindicta ista infinitæ virtutis actualiter cedit in pœnitentis commodum, & salutem; Nec fingere licet, per actionem ejusmodi pœnalem, & vindicativam, fieri applicationem passionis, & meriti Christi vindicativi, cum in ejusmodi *actione pœnali* nihil liceat invenire, quod habeat *rationem organi*, vel medii apprehendentis, & applicantis meritum Christi, & si adversarii nostri semper reclamant, dum fidem pro medio meritum Christi organicè

appli-

applicante agnoſcimus cum Scripturâ, videre non licet, cur, & quomodo pro medio paſſionis Chriſti applicativo poſſint venditare *rationem aliquam pœnalem* & vindicativam? non enim poteſt pœna eſſe applicativa pœnæ alterius. *Remiſſio peccatorum*, quæ ſequitur ordine naturæ pœnitentiam, itidem probat, μετάνοιαν non denotare actionem pœnalem & vindicativam, nam ubi *eſt remiſſio peccatorum*, ibi *non eſt peccatorum vindicatio*, & ſi pœnitens vindicat in *ſeipſo* peccatum, tunc non indiget remiſſione, ſed ſatisfacit ipſe pro peccato; *Furi*, qui ob furtum ſuſpenditur, nihil remittitur, dum pœnam ſuſtinet, ipſe enim & peccatum & pœnam luit. Quamvis autem remiſſio peccatorum impetrata ſit à Chriſto, & ita prorſus & omnino à ſatisfactione ejus dependeat, non tamen poteſt ea dependere ab *actione vindicativâ* hominis pœnitentis; aut enim dependeret ab eâ, ut *concausâ ſubſidii loco* adjunctâ merito Chriſti; aut ut *à medio applicante*; non prius; quia meritum Chriſti eſt λύτρον infiniti valoris, nullo ſupplemento indigens; non poſterius, quia peccata vindicare in memetipſo, & applicare mihi vindictam ab alio meo nomine ſumptam, tam diſtant, quam quæ longiſſimè, ſunt enim *remiſſio ab alia impetrata*, mihique applicata, & *vindicatio peccatorum*, quem à me requirere debeo, proſus ἀνθρώπινα. Repugnat præterea ipſa remiſſio peccatorum à Chriſto acquiſita, hæc enim quia eſt *totalis*, non partialis & dimidiata, nihil poteſt, dum applicatur, vindicandum, & expiandum relinquere, cum *non* ſit referenda *inter opera DEI ſucceſſivè, & per partes complenda*; Stantibus his, ultrò ſequitur medium illud, quod remiſſionem peccatorum à merito Chriſti dependentem, & per verbum oblatam, transfert, & in ſalutem hominis cedere facit, *non* eſſe *vindicativum quid*, ſed dicere *ordinem quendam, & munus organicum*, vel applicativum. Minor propoſitio habetur Luc. 24. ℣. 47. *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes*; in hoc loco proponitur *juſta ſeries*, & ordo divinitùs conſtitutus, in quo μετάνοια *medium* occupat locum *inter Chriſtam* paſſum, reſuſcitatum, gentibusque per prædicationem Evangelii, Sacramentorum adminiſtratione ſtipatam

tam, annunciatum, & *inter remissionem peccatorum*, ut ita meritum Christi præsupponat, remissionem verò peccatorum, non quidem quoad impetrationem (hoc siquidem respectu implicatur in merito Christi priùs assignato) Sed quoad *actualem participationem* tanquam effectum salutarem post se trahat. De conclusione itaque dubitare non licet, quæ hæc erit, μετάνοιαν non dicere stylo Scripturæ & usu actionem pœnalem & vindicativam, sed potiùs ordinem & medium Christum verbo & Sacramentis oblatum apprehendens. Imò contineri hanc minorem, & intimari in præsenti nostro, de quo agimus, textu, affirmare non veremur, eo ipso enim, quia Chorazitæ & Bethzaiditæ Christum, tanquam *Messiam* mundo promissum, & gratiam Evangelicam per impœnitentiam *respuerunt*, seque ipsos remissione peccatorum, & salute æternâ defraudarunt, evidens est, quod pœnitentia quam potuissent, & debuissent agere, medio se loco fuisset habitura inter gratiam Evangelicam verbo miraculis confirmato oblatam, & inter remissionem peccatorum, æternamque salutem, & quidem instar medii non cum Christo satisfaciente collateralis, & ejusdem generis, sed *alterius speciei*, dicentis ordinem, & illius, quod Evangelio oblatum est, applicationem.

XII.

In discursu *Bellarminiano* notamus. 1. *Temerariam Versionis Bezianæ reprehensionem*; Vocem μετενόησαν omninò absurdè reddidit Beza, resipuissent, dicit Bellarminus; sed frustra hæc dicit *Cardinalis*, sivè absolutè, sivè respectivè sumatur vox *resipiscere*. Absolutè sumpta optimè exprimit sensum verbi μετανοεῖν communiter obtinentem, μετανοεῖν dicit *vi derivationis Etymologicæ post sapere, intelligere, vel animadvertere*; At annon *resipiscere* tantumdem dicit, quasi resapere, vel errore agnito sapere; quia verò *Bellarmino* hoc nimis grammaticale videtur, qui ad usum potiùs & valorem verborum attendi debere judicat, quam ad Etymologiam, μετανοεῖν habito respectu ad Scripturam, dicit *mutationem cordis*, quâ displicet id, quod factum est, cum dolore & detestatione; ita Luc. 17. v. 4. agitur de *fratre in fratrem peccante*, quod ἐὰν μετανοήσῃ, si dixerit μετανοῶ, ei offensa sit condonanda; vocabulum

μετα-

μεταμοεῖν de actione pœnali & vindicativâ velle explicare, quid esset aliud, nisi ineptire, sic enim *remittere esset vindictam requirere*, eam vel *imponendo* fratri offendenti, vel *expectando*, donec ille sponte modo pœnali in se ipso vindicaverit injuriam; quamvis autem qui offendit, dum offensionem deprecatur, *satisfac ere* dicatur fratri offenso, non tamen est ea satisfactio *propriè & strictè* sic dicta, multò minus *actio vindicativa*, & pœnalis, potiùs deprecatione suâ offendens *mitigare vult offensum*, ut animum ulciscendi injuriam illatam deponat; Si itaque μεταμοεῖν dicit *mutationem cordis* post errorem cognitum, cum *displicentiâ quadam*, cur resipiscere non exæquare possit vim, & sensum vocis μεταμοεῖν, videre non licet. Sin *vox resipiscere* consideratur in *comparatione* ad vocabulum pœnitere, iterum penetrare non possumus nostro judicio, quod pœnitere *accuratiùs*, *& exquisitiùs* repræsentet istam mutationem voce μεταμοεῖν insinuatam, præ vocabulo resipiscentiæ. Nec juvat *Cardinalem discrimen resipiscentiæ & sessionis in sacco & cinere*, secundum quod illam ut causam præcedere, hanc ut effectum insequi judicat, quamvis enim resipiscentia quoad priorem suam partem, quæ *contritione* ejusque actibus absolvitur, *prioritate naturæ* antecedat saccum & cinerem, quatenus non nisi qui dolet de admissis, eaque detestatur, in sacco & cinere se volutat, *temporis* tamen respectu possunt esse *conjuncta*, quod etiam salvâ fidei analogiâ dici potest de resipiscentiâ, quatenus *fidem includit*, cum in eo, qui dolorem suum de commissis peccatis testatur sedendo in cinere, *uno & eodem tempore* possit locum habere fiducia Christum apprehendens. Nec quicquam lucratur Adversarius, si maximè obtineat resipiscentiam esse *causam* sessionis in sacco & cinere, cum nos non concedamus, resipiscentiam esse actionem pœnalem, vel ipsam sessionem in sacco & cinere, quam enim differt resipiscentia à sacco & cinere, tam differt μετάνοια à sacco & cinere, quæ licet hic conjungantur, tamen, ut patebit jam, summè interse differunt.

XIII.

2. *Ineptam* ex προσδιορισμῷ h. l. *occurrente collectionem*; Connectitur μετάνοια à Christo cum sacco & cinere, exindè concludit *Jesuita*, μετάνοιαν non posse esse resipiscentiam, sed actionem pœna-

lem & vindicativam. At frustraneus ejus est conatus, cum περιορισμὸς iste, & *appositio sacci & cineris, non* exprimat *formalem rationem* sive resipiscentiæ, sive pœnitentiæ, quasi sine ejusmodi gestu non possint locum habere, sed designet saltem *veritatem & sinceritatem pœnitentiæ*, cujus *signum probabile* est sessio in sacco & cinere, si autem formalis pœnitentiæ veræ ratio in ejusmodi actione consisteret, tunc aut ejus præsentia *infallibile* præberet argumentum concludendi pro verâ pœnitentiâ, cujus contrarium tamen patet exemplo *Achabi* 1. Reg. 21. & *Judæorum* Esai 58. aut ejus *absentia* nullitatem pœnitentiæ inferret, quod itidem maximè absurdum est, nam pœnitentiam *interiorem cordis esse affectum* ipse *Bellarminus* vi veritatis adactus confitetur, quamvis autem negari non debeat, exerere se istum affectum & *prodire ad extra*, per certa corporis signa, tamen hoc etiam indubium est, ejusmodi signa posse *abesse*, durante & in salvo manente ipso interno affectu; audiatur hâc de re *Luc. Osiander* ad h.l. *Veteres præsertim in Judæâ & illâ vicinâ, cum veram animi humilitatem & dejectionem coram DEO testari volebant, saccis aut aliis id genus vilissimis vestibus induebantur, & in cineres aut in pulverem sedebant, vel etiam caput pulvere, aut cineribus conspergebant. Etsi autem hodiè talibus ceremoniis non est opus, tamen cum verbo DEI ad pœnitentiam revocamur, non induremus corda nostra, sed verè & seriò coram DEO humiliemur, peccata nostra deploremus, & omnem fiduciam in Mediatorem Christum collocemus, sic veniam impetrabimus. J. Coccejus* in cap. 42. *Jobi* p. 559. *Quemadmodum ingeniculare non est orare, licet is qui orat, frequenter ingeniculet, ita nec in pulvere sedere, aut flere est pœnitere, licet is, quem pœnitet, aliquandò fleat, etiam publicè, atque in pulvere sedeat; neque enim ista signa adhibentur semper, (nisi velimus dicere, hoc exegisse Iohannem Baptistam & Christum, & Apostolos, ut quoscunque jusserunt pœnitere, quotidie in pulvere & cinere volutarentur, quod nusquam legitur, vel non quotidiè nobis pœnitendum esse) & sæpè ista signa sunt absque verâ pœnitentiâ, ut in Achabo manifestum est.*

XIV.

3. *Nondum probatam pœnitentiæ delineationem;* dicit pœnitere nihil aliud significare, nisi corde simul & corpore aversari præterita

rita peccata, & *vindictam de illis à semet repetere.* Contra membrum *posterius* (de priori enim non est quæstio) reponimus, nondum convenire inter Pontificios, an pœnitentia sit actio vindicativa in *proprio sensu*, cum *non sit actus justitiæ*, ad quem tamen actiones vindicativæ sunt referendæ; videatur *Gabr. Vasquez.* Tom. IV. quæst. 85. art. 3. qui pœnitentiam pro *parte justitiæ potestativâ* agnoscit. Distinguimus nos. 1. *inter pœnam largo, improprioque, & stricto sensu sumptam*, priori sensu, dolor & pavores conscientiæ oborti ob peccata perpetrata possunt dici pœna, non posteriori; non enim primò, & per se diriguntur ad injuriam alteri illatam vindicandam, vel compensandam, licet sint aliquid naturæ intelligenti disconveniens, quatenus dicunt carentiã delectationis, & tranquillitatis in animo pœnitentis. 2. Inter pœnam consideratã *materialiter & formaliter*, priori sensu *ærumnæ quæcunq;, & tribulationes*, quib⁹ subjecti sunt in hâc vitâ renati, sunt *pœnæ vocandæ*, non autẽ posteriori, cum ii sint reconciliati cum Deo, castigationesq; ejusmodi proveniant non à Deo irato, neq; pro scopo & fine habeant vindictã, sed vel *emendationẽ*, vel probationẽ, vel alios ejusmodi fines. 3. *Inter pœnitentiã internam & formaliter sumptam, & inter externã, ecclesiasticam, sive metonymicè talem;* ad priorem requiritur, si totũ Σύνολον pœnitentiæ ex pluribus actib⁹ constans respiciatur, contritio, & fiducia cordis; posterior consistit in *signis interiorem* dolorẽ foris contestantibus, qualia sunt, *sletus, volutatio in pulvere, & cinerum conspersio, vestes sordidæ, aliique gestus*, quæ *opera laboriosa* prolapsis olim in graviora scelera fuerunt ab Ecclesiâ injuncta, ut in omnium oculos incurreret seria pœnitentia eorum, qui ab Ecclesiâ denuò erant recipiendi; *Neutro sensu* pœnitentia, *strictè & presse* loquendo est actio vindicativa, talis non est, dum supponit pro *dolore & contritione*, quia contritio dicit passionem enatam ex contemplatione pœnarum, quas justitia Divina in vindictam delictorum solet exigere, & *unâ implicat fugam, & declinationem malorum ob commissa peccata impendentium;* talis non est, quatenus *fidem* includit, quia fiducia est *organum applicans satisfactionem Christi* pro nobis passi & mortui, cujus meritum est medium omnes *pœnas* à credentibus prorsus *avertens & declinans.* Nec talis est in proprio sensu, prout sumitur *metonymicè*, quamvis enim signa illa

sint opera laboriosa, molesta, & naturæ intelligenti *ingrata*, vindicativa tamen *strictè* non sunt, cum per ea *nulla fiat compensatio offensæ, & injuriæ DEO illatæ*, & non nisi vel disciplinæ causâ, vel proprio motu ad contestationem pœnitentiæ seriæ, minimèque fucatæ fuerint olim susceptæ, quo fine etiam adhucdum ejusmodi pœnitentiam Ecclesiasticam apud nos præstare tenentur, qui magno scandalo Ecclesiam turbarunt.

XV.

Percurramus paucis *reliqua loca* à *Bellarmino* adducta. Provocat ad locum *Hiobi* c. 42. v. 6. Nolumus confugere ad novam *I. Coccei* expositionem, quæ dura videtur *D. Schulteto*; *Iobum fateri, se alloquio divino erectum omnia acerba, lubenti animo pro tanto beneficio susceperturum, & carnis suæ, quæ nihil aliud sit, nisi pulvis, & cinis, amorem, curam, & sollicitudinem abjecturum esse.* Stante itaque *sensu* loci hujus *communi, & recepto* nihil lucratur *Cardinalis* ex verbo נחם / quod generatim *mutationem animi* denotat, quâ displicet, quod antea placuit, quæ displicentia confessione oris solet prodi. Ier. 8. v. 6. nec favet ei adjunctus μεθοδιορισμὸς, *in favillâ & cinere*, qui non est designativus pœnæ, sed *effectus* cujusdam, & *signorum externorum doloris interni*, qui non semper oritur à commissis peccatis, sed & *aliis infortuniis*, prout *Iobum*, ut ostenderet calamitatis suæ magnitudinem, *tunicam lacerasse & in cinere sedisse* legimus; *metonymicè* ergò *Iobus* sinceritatem pœnitentiæ suæ indigitare voluit factâ mentione signorum de interno dolore testantium, quo facit altera *Coccei* ad receptum sensum inclinans explicatio; *Si libet hoc modo verba Iobi accipere, pœnitet me, sive respiscо in pulvere, & cinere, sensus erit; Ego qui antea ob luctum & dolorem carnis meæ in pulvere sedi, quanquam satis causæ habeam, ad deponendum omnem tristitiam, tamen ut tester, mihi ex animo displicere, quod incircumspectâ oratione cuiquam dederim scandalum, non muto sedendi rationem, & in pulvere sedere pergo.* Idem judicamus de *textu Joeli*. c. 2. v. 12, 13. Vox enim שוב ad conversionem *intransitivam* translata dicit *motum animi spiritualem*, & tendentiam pœnitentis à termino, à quo, qui est peccatum, ad terminum, ad quem, h. l. *objectivè*, non formaliter expressum, qui est DEUS, ad quem per fidem cum proposito vitam in melius mutandi reverti debeant, qui per suam perfidiam ab eo erant digressi; *Jejunium, fletus, & planctus* sunt signa veri zeli, & humiliationis, tendentia in proximi ædificationem, quo fine requiruntur, ita ut si absit, nudaque intendatur *ostentatio*, exesse jubeatur *vestium laceratio*, cum conversionis laus quærenda sit apud DEUM, non apud homines, quo modo aliâs, quando ea quæ conjungenda sunt, homines separant, scriptura meliorem partem eligit, & minorem absolutè quasi rejicit. Hos. 6. v. 6. Ex modo dictis constat, quid ad *reliqua loca* ex Scripturâ desumpta, respondendum sit, ut uberiori tractatione, fastidiosâque reiteratione sepositâ, dissertationem præsentem tutò finire possimus.

EXERCITATIO II.

De
POENITENTIA TYRIORUM ET SIDONIORUM.

DEscriptioni pœnitentiæ, quam secundùm Christi pronunciatum acturi fuissent Tyrii & Sidonii, si vidissent virtutes ejus, paucis adumbratæ in primâ Exercitatione, succedit jam *repræsentatio causarum*, quibus ad agendum pœnitentiam actualiter fuissent moti, quod punctum non levem meretur discussionem, propter eos, qui exinde non unum sibi promittunt triumphum.

THESIS I.

SIt, ut à *remotione causarum fictarum* incipiamus, *Assertio prima. Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum non dependisset à prædeterminatione divinâ, sive physicâ, sive morali, irresistibili.* *Calviniani* hîc confugiunt ad prædeterminationem voluntatis humanæ, idque *partim*, dum locum dant hypothesi eorum, à quibus hâc in parte impugnantur, agi hîc de pœnitentiâ verâ & salutari; *partim*, dum de pœnitentiâ externâ sermonem institutum esse, asserunt. *Prius* facit *G. Twissus* lib. 1. de scient. med. c. 28. ubi sic respondet *Penotto; quomodo intelligibile dicitis esse, DEUM decrevisse concurrere ad actum fidei illius, quam visis miraculis elicituri essent, quamvis non decreverit illis talia signa exhibere, ut crederent: eodem modo intelligibile est, DEUM decrevisse determinare Tyrios & Sidonios ad actum fidei illius, quam visis miraculis habituri essent, quamvis non decreverit illis talia signa exhibere, ut crederent, præsertim cum in procinctu simus demonstrare, nullum alium concursum DEI cum Creatura esse possibilem, quam qui sit per determinationem creaturæ ad agendum actum suum.* *Posterius* statuere debent *vi communis hypotheseos* de universali prædeterminatione voluntatis humanæ ad omnes suas actiones, quam tamen quidam ex isto ordine impugnant,

& non nisi ad *actiones sanctas & spirituales* restringunt; & ita quamvis statuant pœnitentiam externam, quam acturi fuissent Tyrii, potuisse præstari viribus naturalibus, nec indiguisse *speciali* aliâ gratiâ, tamen concedere tenentur, dependisse eam à concursu quodam DEI *prædeterminativo*. Eandem sententiam fovere *Dominicanos*, testatur *Matth. Borull.* de scient. med. p. 108. quo in loco eorum proponit exceptionem. *Alii denique re maturiùs consideratâ respondent, conferri quidem Judæos & Gentiles æquales non solùm in virtutibus externis, sed etiam internis, demptâ divinâ prædeterminatione, quæ Tyriis concessa fuisset, & negata Judæis.*

II.

Thesin à nobis positam ex textu nostro sequenti probamus argumento; Quo posito *nullitatis* argui potuisset à Pharisæis & Judæis *exprobratio Christi*, ab eo non potest dici dependisse pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum, sub conditione futura. At *positâ prædeterminatione ineluctabili* nullitatis argui potuisset à Pharisæis & Judæis exprobratio Christi. E. *Major* prop. vix poterit à quoquam negari, cum evidens sit, adeò convictos fuisse Bethsaiditas & Chorazitas, ut ne *minima rimula elabendi, vel se excusandi* ipsis fuerit relicta; *Minor* facilè probatur, si enim à prædeterminatione divinâ, quæ in manu solius DEI posita est, & à nullo mortalium potest *infringi, contemni, vel respui*, fuissent acti Tyrii & Sidonii, vique hujus irresistibilis præmotionis apud eos secuta fuisset pœnitentia, Judæi destituti ejusmodi prædeterminatione, à quâ solâ dicitur dependere conversio, potuissent reponere, non debere se reprehendi, *cum denegata eis fuerit prædeterminans gratia*, ad quam habendam vel procurandam nil potuerint conferre, quâque admotâ & concessâ, tàm pœnitentiam egissent, quàm eam acturi fuissent Tyrii; imò si adhuc concedatur, tunc conversionem tàm apud ipsos locum habituram, quàm locum habitura fuisset inter Tyrios & Sidonios ineluctabiliter à gratiâ prædeterminante actos.

III.

Tria reponit *G. Twissus* l. c. p. 183. 1. Dicit, non minùs ex sua, quam *Jesuitarum doctrina* de gratiæ congruæ subministratione

ne

ne, enervari totam illam obstinationis Judæorum increpationem & exaggerationem, *dicere namque potuisse eos, Domine quid nobis succenses, quod factis tot signis tibi non credamus, quibus visis Tyrii & Sidonii essent credituri, neque enim credituri essent, nisi congrua suis mentibus, vel verba audirent, vel signa conspicerent, quod si nos quoque congruentibus mediis invitasses, nos etiam quemadmodum & illi pœnitentiam egissemus, neque enim sine congruâ vocatione fieri potest, ut credamus & resipiscamus.* 2. Dicit, ex doctrinâ suâ de DEO ad placitum non modo miserante cujus vult, sed & quem vult obdurante, *vidisse Apostolum ejusmodi emergentem objectionem, ad quam responderit, Homo tu quis es, qui respondeas DEO, numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me feciſti sic, &c.* 3. subjungit explicationem dogmatis de prædeterminatione; *neminem DEUM ad agendum determinare nisi congruenter naturæ suæ, adeoque ad agendum liberè quicquid unumquemque determinare, adeò ut libertati suæ nullam prorsus injuriam fieri unusquisque experiatur.*

IV.

Respodemus Nos 1. *Instantiam κατ' ἄνθρωπον ex dogmate Jesuitico formatam approbando;* Novimus quidem, quid ad eam soleant reponere *Jesuitæ*, dum negant consequentiam hanc, si homo vocatur gratiâ congruâ, sequitur, quod qui non convertitur, non possit ob non insecutam conversionem culpari, idque ex hâc ratione, quia in *potestate arbitrii sit*, reddere divinam vocationem efficacem, aut inefficacem, adeoque justè increpasse Christum Judæos, quia suo consensu non reddiderint voluntatem divinam efficacem, quam Tyrii suo consensu talem reddidissent, hanc tamen responsionem, utpote *nimis Pelagianizantem nos prorsus rejicimus*, inferiusque impugnabimus. Quamvis autem ad hominem *Twissus* instantiâ istâ in eodem luto hærere *Jesuitas* demonstraverit, quod scil. ex doctrinâ de gratiâ congruâ administratâ secundùm circumstantias, in quibus homo præviſus sit non recalcitraturus, tàm sequatur destructio increpationis Christi, quàm dicatur sequi ex dogmate de gratiâ prædeterminante, *nondum* tamen *se suosque liberavit* à periculosâ istâ consequentiâ. 2. *Paritatem inter argumentum*

tum Rom. 9, *ab Apostolo expeditum, & nostrum ex prædeterminationis naturâ desumptum, prorsus negando.* Vindicat Paulus justitiam divinam, probatque DEUM non esse injustum, dum expostulat cum homine contumaciter sibi repugnante, cui gratiam tandem subtrahit, eumq; rejicit, & indurat. Argumentum itaque, quod responsionis loco reponitur Judæo, inique ferenti expostulationem divinam, procedit *non ab absoluto DEI decreto*, hominem ex merâ & nudâ voluntate sine omni respectu ad ejus demeritum, reprobrante, & mediis emergendi efficacibus omnino destituente, sed ex *illo decreto liberrimo*, quo DEUS constituit hominem vocare ad gratiam præfractè contumacem tolerare, gratiam ob peccata antegressa subtrahere, & ex justo judicio contumaciam ejus jure ulcisci, ut exinde gloria nominis divini fiat illustrior, quod decretum fundatũ est *in libertate DEI* nulli obstrictâ, indicatâ in modo & miserendi, & indurandi, cujus tamen *administratio*, quoad Personas & *rationem specialiorem* alibi uberiùs descripta hîc, aut *præsupponitur, aut tacitè includitur.* Nostrum autem argumentum formatum est ex absoluto decreto, & *præmotione ineluctabili*, quatenus nemo dicitur converti posse, nisi qui absolutè prædeterminatur à gratiâ; licet ergò Judæus non possit excipere contra expostulationem DEI pro suâ libertate hominum miserentis, præfractosque rejicientis, non tamen consequens est, non posse excipere Chorazitas contra exprobrationem Christi stante dogmate de absoluto decreto & gratiâ prædeterminativâ, ob summam *disparitatem inter concursum DEI prædeterminativum & resistibilem.* 3. *Conciliationem inter concursum prædeterminantem, & libertatem humanæ voluntatis improbando.* Putat *Twissus*, facilè posse conciliari prædeterminationem & libertatem voluntatis humanæ; at hoc nimis difficile judicat *Sam. Rhetorfort.* qui in disp. de provid. DEI pag. 409. fatetur, *omnibus adhibitis mediis se modum conspirationis divinæ prædeterminationis, & creatæ voluntatis determinationis liberæ in unum & eundem actum pro ingenii sui imbecillitate explicare minimè posse;* Quod ipsum quomodo fieri possit, nec nos hactenus penetravimus, cum stante prædeterminativo concursu ipsa voluntas ita restringatur ad actum suum, ut *non*

solùm

solùm hypotheticè loquendo, respiciendoque ad prævisionis statum, *sed & absolutè respectu causarum antecedentium* ad oppositum actum eliciendum subjectum agens sit planè ineptum. Quamvis enim ex prævisione, & actuali liberrimâque voluntatis determinatione sequatur aliqua necessitas agendi, est tamen ea non nisi *hypothetica*, quæ habet hypothesin in ipso facto, non in causâ, quod agnoscit ipse *Rhetorfort.* l. c. p. 108. *Necessitas ex hypothesi, quod libertas jam actu operetur, & necessitas ex hypothesi absoluti decreti respectu termini & principii à quo sunt diversæ necessitates.*

V.

Sequitur *Assertio secunda; Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum non dependisset à viribus liberi arbitrii naturalibus sive in totum, sive in tantum;* Priorem modum *Pelagianis* olim nimis arridentem, peneque non peculiarem suum fecisse hactenus videntur *& Sociniani, & Arminiani*, dum homines ita corruptos, ac impotentes esse ad bonum, ex lapsu Adamitico, inprimis autem voluntatem hominis vitiatam esse negant, ut supernaturali gratiâ ad eam reformandam opus sit, quamvis deinceps hanc sententiam aliquo modo emollire velint, dum statuunt, *efficaciam gratiæ DEI dependere à libero hominis arbitrio*, tanquam à *concausâ*. *N. Grevinchov.* contr. Amesi. p. 208. expresse ponit; *Gratiam & Arbitrium concurrere ut causas partiales, partialitate causæ non effectus;* p. 160. *non omne auxilium sufficiens est efficax, sed illud tantum, cum quo nostrum concurrit arbitrium, gratiâ præveniente excitatum & comitante adjutum. Collocutores Hagienses*, licet p. m. 256. fateantur, *libenter se omnia admissuros, ut tantum homini adimatur, gratiæque DEI adscribatur honoris & virtutis, quantum fieri potest, hocque unum sibi curæ esse, ne sub prætextu gratiæ introducatur operatio, quæ naturam hominis non emendet, sed tollat;* nihilominus asserunt, *non solùm agere gratiam, sed cooperari ei quoque voluntatem humanam ad fidei ἀποτέλεσμα efficiendum.* Posteriorem apprehendunt communiter ferme *Pontificii*, quamvis enim in divortia hic scindantur, *unde ratio efficaciæ gratiæ divinæ sit* desumenda, omnes tamen, *Dominicanis* exceptis, qui cum reformatis sentiunt, communiter huc inclinant *à cooperatione voluntatis humanæ à gratiâ præ-*

ventæ conversionem dependere, excitari à gratiâ vires arbitrii ligatas, & sopitas, de quo puncto possunt consuli & eorum, & nostri Scriptores. Ad nostrum Textum, quod attinet. *M. Borull.* p. 108. sequentia habet; dum respondet ad instantiam, Tyrios Judæis inæquales constitui, quoad divinam voluntatem, utcunque consideratam, utpote, quæ respectu Tyriorum fuisset efficax, respectu verò Judæorum inefficax; *Tyrii constituerentur inæquales, inæqualitate antecedente omnem liberum consensum, & ab ipso independente; nego: inæqualitate pendente à libero consensu, concedo; Et nego consequentiam, quia cum in sententiâ nostrâ sit in potestate arbitrii, reddere divinam voluntatem efficacem, efficacia est illi laudabilis, & inefficacia reprehensibilis, atq; adeò juste increpat Christus Judæos, quia suo consensu non reddiderint divinam voluntatem efficacem, quam Tyrii suo consensu talem reddidissent.*

VI.

Thesin nostram ex textu sic probamus. Quicquid tanquam *effectus proximus & immediatus* dependisset à virtute verbi, tum legalis, tum Evangelici ad producendum istum effectum à gratiâ divinâ ordinati & prædicati, illud non potest dici dependisse à viribus liberi arbitrii naturalibus, sive in totum, sive in tantum; Atqui pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum, quam egissent visis Christi virtutibus, tanquam *effectus proximus & immediatus* dependisset à virtute verbi legalis & Evangelici ad producendum illum effectum divinitùs ordinati & prædicati. E. *Major* propositio patet ex *nimiâ distantiâ*, quæ est *inter effectus verbi divini & liberi nostri arbitrii*, quæ tanta est, quanta est, quâ differunt ipsum verbum, vel gratia divina, cujus medium est verbum, & arbitrium humanum, ejusque vires; patet illa quoque *ex relatione*, quæ intercedit inter verbum prædicatum & pœnitentiam, quæ tanta est, ut hæc illius dicatur *effectus proprius & immediatus*, illud verò sit *medium* in hoc ipsum à DEO *constitutum & ordinatum*, ut effectum modo laudatum produceret, quibus stantibus, facilè est colligere, arbitrii vires neque in se & absolutè sumptas, neque imprægnatas, & elevatas, vel excitatas à gratiâ divinâ ad productionem conversionis modo quodam collaterali posse quicquam con-

conferre, vel cooperari. *Minor* propositio continetur in textu quem tractamus, utpote in quo agitur de *summo contemptu*, quo Judæi verbum & legale, & Evangelicum à Christo non nudè saltem propositum, sed & multis signis stabilitum, rejecerunt, *gratiæque per illud medium conversionem eorundem intendenti modo contumaci obicem posuerunt*, quo asseritur, *in hunc finem* verbum illud cum tam illustri miraculorum apparatu fuisse eisdem intimatum & prædicatum, ut virtute illius conversionis ὑπόλειμμα in illis produceretur.

VII.

Peccant oppositæ sententiæ 1. *de corruptione omnibus inhærente facultatibusque hominis in peccatis nati minùs dextrè sentiendo.* Quotquot pro viribus liberi arbitrii quocunque modo decertare videmus, deprehendimus *de effectu lapsus Adamitici*, gravitateque vitii originalis *remissiùs* sentire, malumque istud *superficiariè saltem* contemplari, dum partim ex toto *ejusmodi hæreditariam labem negant;* partim naturalia mansisse integra, *neque totaliter* esse destructam concreatam justitiam asserunt, unde non est mirum, ejusmodi doctores minùs dextram fovere sententiam de viribus humanis, quam hypothesi isti superstruunt. 2. *Ex libertate gratiæ divinæ resistendi, conversionemq; impediendi siniſtrè colligendo.* Utrinque conceditur contra prædeterminationis ineluctabilis Assertores, quia DEUS non omnem suam potentiam in conversionis negotio adhibet, ne adimat homini omnem simpliciter resistendi vim, posse hominem & voluntati divinæ, quæ vult, ut benè agamus, *resistere peccando*, & voluntati, quæ vult, ut convertamur, resistere non solùm *resistentiâ negativâ*, impediendo gratiæ operationem, sed & *positivâ* producendo qualitatem oppositam gratiæ efficaciter operanti; exinde colligunt Adversarii, si in hominis viribus sit situm, gratiam divinam quoad eventum reddere inefficacem, dependere ex illis viribus, vi oppositionis, ipsius gratiæ efficacitatem actualem & eventualem; at vitiosa est hæc collectio, ut enim *converti totum est gratiæ divinæ, ita non converti, nostrum est*, dependetque ex nostrâ libertate, licet non laudandâ tamen vituperandâ, deficiente, & servitute dominante. *Perditio*

tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Hos. 13. ℣. 9. Quamvis ergò conversio non suspendatur ab humanâ voluntate, illaque ab hac non dependeat, sed gratia divina conferat potentem motum in nostram voluntatem, operando & determinando eam, ut velit, non tamen sequitur, quod conversio non possit reddi irrita à nostrâ voluntate. 3. *Conversionem transitivè & intransitivè sumptam confundendo;* Illa consistit in actione divinâ, quæ transit in hominem convertendum, qui proinde se *purè passivè* habet, dum DEUS in eo per verbum & Sacramenta operatur conversionem, prout corpus resuscitandum merum est subjectum, in quod absque ullâ ejus cooperatione vita est infundenda; Hæc consistit *in actibus illis*, quos *homo exercet* post acceptas divinitùs vires, non enim Spiritus sanctus peccata detestatur & agnoscit, vel credit in homine, sed homo ista talia facit, dum autem homo conversus per vires supernaturaliter in conversione collatas talia præstat ἐνεργητικῶς DEO cooperando, non tamen rectè dicitur cooperari ad conversionem, quia *seipsum non illuminavit*, neque vitam spiritualem sibimet indidit, vel infudit. Et quamvis respiciendo ad prima conversionis initia, dum gratia præveniens homini confertur, *aliqua cessatio, vel lucta adsit*, quæ non fit sine voluntatis nostræ motu, non tamen dependet ea à naturali facultate hominis, nec est ejus determinatio, sed mora saltem non resistendi pertinaciter à Spiritu S. introducta, ut ita ad hunc modum, quatenus repugnantia in spatio isto sistitur, homo non possit DEO cooperari ad se convertendum.

VIII.

Assertio 3. *Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum non dependisset à morali aliquâ suasione, vel congruentiâ verbi prædicati cum intellectu & voluntate hominis, sive simpliciter considerati, sive constituti in hoc, vel illo temporis articulo, aliisque sive loci, sive rerum agendarum, sive habitudinis temperamenti circumstantiis.* Prius assumunt non pauci inter *Pontificios*, imprimis autem *Arminiani & Sociniani*, qui efficaciam gratiæ derivant, vel ex *qualitate, & evidentiâ objecti* cum intellectu & appetitu hominis; vel ex *suasoriis argumentis*, promissionibus & comminationibus ex verbo DEI

pa-

patheticè propositis & inculcatis. Posterius suum faciunt præprimis *Jesuitæ*, qui ut concilient inter se hominis libertatem & vim gratiæ, provocant *ad scientiam mediam*, quâ præviderit DEUS, quod Tyrii & Sidonii pœnitentiam acturi fuissent, si *in hâc vel illâ temporis, loci, dispositionis, rerumque agendarum circumstantiâ* ipsis verbum virtutibus Messianis stipatum fuisset inculcatum. Nos ultimo hoc puncto in seq. Exercitat. ubi de prævisione pœnitentiæ Tyriorum ex professo agendum, rejecto, pro adstruendâ nostrâ sententiâ sequens formamus argumentum.

IX.

Si Tyrii & Sidonii tam *inepti* fuerunt ad spiritualem sui vivificationem, utpote spiritualiter mortui, quam ineptus est *naturaliter mortuus* ad vitam introducendam, vel prorsus enervis ad functiones naturales præstandas, tunc sequitur, pœnitentiam, quam dicuntur acturi fuisse, non dependisse *à suasione morali*, vel *aliquâ congruitate objecti propositi cum intellectu*, utcunque constituti fuerint. Atqui prius est verum. E. & posterius. Prius patet tum ex *generali conditione* omnium hominum in peccatis conceptorum & natorum, qui *mortui dicuntur in peccatis* Ephes. 2. Tum *ex statu Tyriorum cum reliquis gentilibus communi*, qui sunt alieni prorsus à DEO & vitâ, quæ ex DEO est; Tum ex *comparatione* inter *illos & Judæos institutâ*, qui antecedenter ad actualem pœnitentiam considerati omnino judicandi sunt æquales fuisse æqualitate communis ineptitudinis, vel aptitudinis. *Consequentia* facilè probatur, quia si centies homini enervi planè, vel naturaliter mortuo intimentur, & inculcentur comminationes & promissiones, idque à *Demosthene* aliquo, vel *Cicerone* modo oratorio & summè plausibili fieret, nihil tamen profici posset apud enervem, vel mortuum, nisi accederet physica actio illum restituens, & hunc animans. Quia ergò homo irregenitus eodem modo se habet ut mortuus ad vivificationem, constat utique, moralem suasionem patheticamque verbi propositionem *sine physicâ vitæ spiritualis & virium supernaturalium communicatione*, hominisque immutatione, & reformatione reali, non sufficere ad hominem convertendum, cum moralis ejusmodi repræsentatio sine

physico concursu vix aliquid operetur in ejusmodi casu; Sic verba, *Lazare veni foras.* Johan. 11. ut ut proposita à Filio DEI non excitassent defunctum, nisi unà exercuisset Christus virtutem suam omnipotentem, physicè evocando & producendo è sepulchro, qui quatriduum jam inibi commoratus fuerat. 2. Idem argumentum, quod supra oppositum iis fuit, qui pro irresistibili gratiâ pugnant, potest h. l. reponi *Jesuitis.* Si enim pœnitentia esset secuta apud Tyrios & Sidonios, quia prævisi sunt eam acturi, *si in tali, vel tali statu, & conditione vocarentur,* in quo & non alio actu fuissent conversi, tunc iterum Judæis *rima excipiendi* fuisset relicta, si scil. verbum miraculis stipatum ipsis sub ejusmodi statu, conditione & circumstantiis esset insinuatum, tunc itidem apud ipsos insecutam esse pœnitentiam, quod autem talis status non obtinuerit inter eos, dum Christus prædicabat, miraculisque doctrinam confirmabat, quo tamen posito conversio infallibiliter fuisset insecuta, se non esse in culpa, sed DEUM, statum ejusmodi eis denegantem.

X.

Peccat sententia opposita. 1. *Conversionis opus elevando;* ita enim repræsentatur à Patronis moralis suasionis, quasi consisteret *in levi quadam motione,* & attactu facultatum hominis, physicè seipsas viribus propriis determinantium, per, & ab argumentis suasoriis, quoquo modo illectarum, omne enim, quod moraliter solùm agere dicitur, & movere hominem, ut actio sequatur, requirit *causam physicam determinantem,* non enim lapsus fuisset primus homo, licet argumentis suasoriis sollicitarit eundem serpens ad transgressionem, si homo ipse physicâ actione voluntatem suam ad peccandum non determinasset. Si E. gratia moraliter solûm agit, alii principio utique transcribenda erit physica motio & determinatio. Constat autem, conversionem esse *realem immutationem facultatum hominis,* quæ sine reali collatione virium supernaturalium fieri nequit, prout *vivificatio hominis naturaliter mortui* non dicit levem motionem, sed infusionem actualem animæ vivificantis. 2. *Evidentiam quandam & congruentiam inter mysteria fidei & intellectum fingendo.* Quamvis enim Scriptura sit in se clara, quatenus certum suum determinatumque sensum habet à Spiritu

sancto

ſancto, ut myſteria cognitu ad ſalutem neceſſaria ſufficienter poſſint cognoſci, non tamen ſunt *evidentia vel congruentia noſtræ rationi*, & intellectui, qui cauſas & rationem myſteriorum revelatorum non poteſt penetrare, prout *Phyſicus & Mathematicus* ſuas format demonſtrationes, imò *ſtultitia videntur intellectui ea, quæ ſunt Spiritus, ut ea non poſſit* λέχεσθαι, *capere.* 1. Corinth. 2. v. 14. qualis ſit evidentia objecti ſupernaturalis, patet exemplo & Judæorum, & Gentilium, quibus Chriſtus crucifixus erat partim ſcandalum, partim μωρία, licet ſufficienter à viris immediatè inſpiratis fuerit iisdem repræſentatus; Patet hoc quoque *exemplo renatorum, illuminatorumque* à Spiritu ſancto, apud quos ſubinde oriri dubitationes non leves de certitudine myſteriorum divinorum, evincit tentatorum ſtatus, ut niſi authoritate revelantis ſuffulcirentur, fidemque verbo dandam ipſius verbi & Sacramentorum adminiculo ſtabilirent, pro figmentis, quæ crediderunt hactenus, haberent; Non ergo ea evidentia eſt myſteriorum in relatione ad intellectum hominis, qualis hujus propoſitionis, bis duo ſunt quatuor. 3. *Efficaciæ verbi prædicati non parum detrahendo*, quaſi ea non eſſet niſi moralis externa, *objectiva ſolùm & repræſentativa* objecti fide apprehendendi, & non quoque *phyſica & collativa fidei*, viriumque ſupernaturalium, cum tamen Paulus non uſus ſit perſuaſoriis ſapientiæ humanæ verbis, ſed ſimplici ſermone, conſiſtente in demonſtratione Spiritus & virtute. 1. Cor. 2. v. 4.

XI.

Aſſertio *Quarta; Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum ſub conditione prævisa à Chriſto, non dependiſſet vel unicè, & ſolitariè; vel ſub reſpectu cauſæ abſolutè & ſemper neceſſariæ; vel ſub ratione principii proximè influentis, & producentis, à virtutibus & miraculis Chriſti viſis, & perceptis.* Theſin hanc ex textu noſtro Matthæano ſic probamus. Quâ ſententâ poſitâ Tyrii & Sidonii deſtituti miraculis, non credendo non peccaſſent, neque ob incredulitatem, pœnitentiamque non actam damnari potuiſſent, illa ſententia proculdubio eſt falſa, neque indigitatur vel continetur in verbis à Chriſto prolatis. At ſtante vel poſitâ illâ ſententiâ, à miraculis dependere pœnitentiam ſalutarem ſub ratione cauſæ

sæ *unicæ*, vel *absolutè & semper necessariæ*; vel *proximè & principaliter influentis* in productionem pœnitentiæ, Tyrii & Sidonii, utpote destituti miraculis, non peccassent, neque ob incredulitatem & non actam pœnitentiam damnari potuissent. E. *Majorem* propositionem suâ luce radiare putamus, ut mutuatitiâ opus non habeat, utut enim Christus non in Tyriorum Sidoniorumque vitiis taxandis, sed perstringendâ contumaciâ Judæorum occupatus sit hoc in loco, constat tamen, non prorsus exemptæ actionis esse Tyrios & Sidonios, quibus non totalem veniam in die judicii promittit Christus, sed *mitiorem solùm gradum* pœnæ æternæ, quem sint habituri præ Judæis contumacibus, assignat. *Minor* propositio probatur hoc modo; si *miraculum* est tale medium, quod DEUS pro liberrimâ suâ voluntate *extra ordinem gratiæ* à semet sancitum *improvocabiliter* vult subministrare, tunc sequitur, posito, miracula esse causam pœnitentiæ vel solitariam, vel simpliciter necessariam, vel principaliter producentem, Tyrios & Sidonios non credendo non peccasse, neque ob non actam pœnitentiam potuisse damnari. Atqui prius est verum; verum E. est quoque posterius. *Antecedens* patet partim ex *ipsâ miraculi naturâ*, quod ut ratione productionis est supra cursum naturæ, ita ratione *productionis minùs solitæ* & infrequentis est extra ordinem gratiæ, quâ de causâ *sine speciali verbo* ad signa ejusmodi absque insigni temeritatis notâ provocari non potest, quàm enim peccavit *Achas*, dum jussus à DEO petere signum, id neglexit, & petere noluit ex imaginariâ abstinentiâ de non tentando DEUM. Esai. 7. v. 12. tàm peccarunt *Judæi*, adulterina factio, signa & prodigia de cœlo expectantes & verbo ἀσήμῳ credere nolentes. *Consequentiæ* rationem damus hanc, quia salvâ justitiâ nec culpari, nec puniri potest ob non secutum effectum, qui principio, à quo dependet, ita est destitutus, ut ad id vel habendum, vel non amittendum, vel quocunque modo procurandum & acquirendum non sit obligatus, neque ex promisso, vel beneficio alterius gratuito illud expectare possit & debeat. Tyrii enim Sidonii non erant obligati ad procurandum, ut inter eos fierent miracula, quo ipso immunes essent ab omni culpâ, si pœnitentia eorum non po-

potuisset aliunde dependere, quàm à miraculis, quibus sine ullo demerito erant destituti.

XII.

Adversarii nostri in Papatu circa doctrinam de miraculis non quidem singula membra superiùs posita sua faciunt, impingunt tamen non leviter illi, qui pugnant pro necessitate miraculorum *ex triplici capite*, & quidem 1. *ex capite ipsius Ecclesiæ*, pro cujus notâ venditare solent miracula. Notam quandam characteristicam Ecclesiæ Messiano Apostolicæ, respiciendo ad tempus, quo docebant, esse miracula, ultrò concedimus, quo respectu necessaria fuerunt, non autem absolutè & simpliciter, sed *partim necessitate consequentiæ* ob promissum divinum & vaticinia prophetica, quibus lumen miraculorum deputatum fuit adventui Messiæ; partim *expedientiæ*, ob Messiæ manifestationem, orbisque illuminationem citiùs promovendam; malè itaque extenditur ad quævis Ecclesiæ tempora, quod temporarium pro certo statu ei erat concessum. 2. *Ex capite ipsorum dogmatum*, pro quarum Veritate simpliciter concludunt ex miraculis. Concedimus, Christum & Apostolos provocasse ad miracula, Doctrinæque propositæ ob miracula fidem haberi voluisse, sed & hoc verum, Scripturas jussisse scrutari suos, quos habuêre Auditores, à quibus si convicti fuissent alicujus erroris pugnantis cum Scripturis Mosaico propheticis, facilè manus dedissent, ut ita miracula in *præcisione* sumpta absque congruentiâ dogmatis propositi cum verbo θεοπνέυςω non suppeditent argumentum sive ad dogma constituendum, sive ad id confirmandum, & pro divino declarandum. 3. *Ex capite ipsius fidei*, dum putant neminem teneri ad id credendum, quod non ut evidenter credibile proponatur, adeoque fidem sine miraculis persuaderi non posse, ut omnino excusati fuissent Judæi, nullam fidem habentes doctrinæ Christi, si non fecisset miracula. Quam inepta hæc sint, patet exemplo *Samaritanæ mulieris, & concivium, latronis in cruce, Judæorumque Antiochiæ* Paulum docentem audientium, qui fidem habuerunt verbo audito, nullo viso miraculo. Imo dum præcesserunt miracula, populus non iisdem, sed *vi verbi* propheticiconversus fuit, videntes enim Judæi, aliique proselyti Apostolos variis linguis loqui, adeo tamen non moti sunt, ut potiùs eos

calumniati fuerint, tanquam ebrios; alii ſtupidi, quid eſſet, interrogabant, dum autem Petrus ſermonem habuit, multi *his auditis* compuncti ſunt corde. Vix hos aliosque verbo ἀσυμφ etiam fidem habentes, pro inſanis declarabunt Pontificii, quaſi crediderint *ſine motivo credibilitatis*, quod tamen nemo facere debeat; Sanè ſtante illâ ſententiâ abſolvendi à peccato ἀπιστίας erunt moderni *Judæi*, *Turcæ & Gentiles*, imò etiam *Americani*, licet enim Lojolitæ (poſito ita eſſe) faciant inter illos miracula, quo motivo perſuadebunt eisdem, fieri ea in confirmationem cultus ſanctorum, purgatorii, aliorumque figmentorum.

XIII.

Aſſertio *Quinta*, eaque poſitiva & ultima; *Pœnitentia, quam ex præviſione divinâ viſis virtutibus Chriſti egiſſent Tyrii & Sidonii, dependiſſet à gratiâ Spiritus ſancti operantis per verbum legale & Evangelicum, tanquam efficacia ſalutis media, adminiculantibus & ancillantibus miraculis à Chriſto patratis.* Duas in hoc aſſerto damus cauſas, *primam* abſolvunt *miracula*, & virtutes Chriſti; alteram *Spiritus ſanctus operans per verbum*; illa dicuntur adminiculans & ancillans; iſta principalis, adhibens tamen media ordinaria, eaque intrinſecè operantia, & flecticordia, quamvis enim dici poſſit, etiam miracula patrata adhibita fuiſſe olim tanquam *media* converſionem facilitantia, & in hoc ſaltem differre à verbo, & ſacramentis, quod hæc ſint media ordinaria, illa verò extraordinaria, conſtat tamen, *majus intercedere diſcrimen*, ut ita non in eodem genere cauſandi conveniant, ſunt enim *verbum & Sacramenta media interna* intùs operantia, cor & mentem immutantia, conferentia & producentia *immediatè & proximè* ipſam fidem; *miracula* autem ſunt media *externa*, *motivaque remota*, mediis proximè influentibus *viam quandam parantia*, & hominem percellentia, ut faciliùs admittat media ordinaria. Non ergò ex defectu ipſius verbi propoſiti requiruntur, quaſi hujus operationem flecticordiam deberent *formaliter* adjuvare, vel augere, ſed neceſſaria ſunt neceſſitate *expedientiæ reſpectu ſubjecti*, quod non tam facilè ad primam admotionem, vel propoſitionem verbo auſcultat, ſed deſuper habet, inde *inſervire dicuntur incredulis*, quorum intellectum in ſe quaſi rapiunt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0042
DFG

piunt, suoque modo sistunt, ut deinceps *media alia proximiora admittat*, & abstineat à judicandi temeritate, ne ut falsa & ficta abjiciat statim, quæ lumine suo nativo assequi nequit; unde patet miracula non habere finem τελεσιουργικὸν, quasi efficerent *fidem divinam*, nec assensum, quem ingenerant, esse pro spirituali salvificoq; actu conversionem intrinsecè absolvente habendum, sed habere *finem subsidiarium*, tanquam medium cadens sub sensus perfringendæ hominum contumaciæ & tarditati juvendæ destinatum à *liberrimâ voluntate DEI*. Ubi oppidò notandam judicamus distinctionem inter miracula considerata *in se & abstracto*; & *cum connotatione, & implicatione specialis constitutionis divinæ* in *verbo revelato expressæ*. Priori modo sumpta, ut sunt effectus, ita quoque *signa naturalia præsentiæ & potentiæ divinæ*; Sensu *posteriori*, quatenus scilicet DEUS promisit, se doctrinam propositam, vel proponendam velle confirmare signis subsequentibus, vel concomitantibus, signa sunt, & publica documenta, quæ testantur de divinitate verbi prædicati; Hoc respectu miracula, licet in se rapiant intellectum, quando considerantur ratione finis, quatenus non nisi ad verum confirmandum ordinantur, pro normâ agnoscunt ipsam Scripturam, confirmatque doctrina ipsa miracula, ut propter deordinationem à legitimo fine pro falsis habeantur, non enim falsa sunt ea tantùm miracula, quæ ratione formæ deficiunt, & sunt ementita, sed & quæ ex parte finis deficiunt, & ad decipiendum sunt composita.

XIV.

Emergit inde *Mens* nostræ assertionis, quoad membrum illud de virtutibus Christi, & dependentiâ pœnitentiæ Tyriorum & Sidoniorum ex illis signis, quod *miracula Christi dudum in V. T. prædicta, & instituto divino ex revelatione cognoscibili*, ad condecorandum Adventum Messiæ, ejusque doctrinam stabiliendam destinata, tanquam *medium ancillans*, suo ordine & modo concurrerint ad pœnitentiam agendâ, Verbo prædicato viam parando, ejus authoritatem confirmando, remoramq; quam cursus Evangelii in toto orbe prædicandi, ex assuetâ hominum infidelitate, pati potuisset, externè removendo; Tale argumentum ex textu no-

ſtro, & quæ præfati ſumus, naſcitur. Quodcunque medium Eccleſiæ à Chriſto & Apoſtolis plantandæ in aliquod ſubſidium à voluntate divinâ revelatâ ad promovendum curſum Evangelii fuit deſtinatum, illud pœnitentiæ, quam egiſſenr Tyrii & Sidonii, cauſa fuiſſet non niſi *adminiculans & ancillans*, infidelitatem eorum non ſummè pertinacem effringens: Atqui tale medium fuerunt virtutes & miracula Chriſti. E. Major propoſitio inde conſtat, quia quem effectum ſortita ſunt miracula Chriſti, & Apoſtolorum apud eos, quos prædicando Evangelium, converterunt, eundem procul dubio vi verborum Chriſti obtinuiſſent apud Tyrios & Sidonios ſub conditione præviſos, ut pœnitentes. Minor patet ex Eſ. 35. ℣ſ. 5. ſeq. Matth. 11. ℣ſ. 3. 4. &c. Marc. 16.

XV.

Alterum aſſertionis quintæ membrum agit *de gratiâ Spiritus Sancti* pœnitentiam apud Tyrios & Sidonios, ſi vidiſſent virtutes Chriſti, operantis per Verbum tum Legis, tum Evangelii. Non agi hoc loco *nudè & unicè* de Virtutibus, quas Chriſtus fecit ſequeſtrato in totum verbo ab eo prædicato, ex ipsâ *hiſtoriâ Evangelicâ, & ſtatu Auditorum*, quorum provinciam taxat, judicamus eſſe manifeſtum, ut operosâ probatione res hæc non videatur indigere; nam præterquam quod Chriſtus verbum prædicatum confirmare voluit ſignis miraculoſis, ad eundem modum, quo confirmaſſe dicitur ſermonem Apoſtolorum, per ſigna ſubſequentia. Marc. 16. ℣. 20. Chorazin & Bethſaida referendæ ſunt inter illas Urbes, in quibus Chriſtus converſationem ſuam habuit, ut in Collegium Apoſtolorum non unum *ex harum Civitatum incolis* ſelegerit, & adoptaverit. *Pro* χοραζὶν *Origenem* legiſſe χώρα ζὶν vel Σὶν teſtatur *Heinſius in Exercit. Sacr.* quæ tamen lectio ſubſiſtere non poteſt, unde, unde, deſumpſerit Origenes (forſan ex uno vocabulo facta ſunt duo, ex χωραζὶν χώρα ζὶν) nam præter *conſtantem omnium Exemplarium lectionem*, quæ habent χοραζὶν, conſtat & hoc, *ſin* deſignare in ſacris vel *deſertum*, quod erat inter Elim, & Sinai. *Exod. 16. 1. cap. 17. 1* vel *Urbem* quandam *Ægypti* robuſtiſſimam, cujus ruina prædicitur. Ezech. 30. ℣. 15. 16. neutra ſignificatio hic militat, cum locus de quo Chriſtus agit, ſit referendus inter

inter Urbes, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quod ad desertum Sin, vel Urbem Ægyptiacam applicari nullo modo potest. Erat ergo *Chorazin* inclyta *Galilææ Civitas* pertinens ad Decapoleos Urbes, sita è regione Capernaumi, cujus etiam hoc loco à Christo facta est mentio, distans ab eâ duobus milliaribus, ad quam Urbem Christus, sedem figens Capernaumi, sæpiùs prædicatum excurrit. *Cornel. ad Lapid.* meminit, quosdam putasse *Anti-Christum in Chorazin nasciturum, ibidemque nutriendum esse. Bethsaida* itidem erat Urbs Galilææ, adjacens mari juxta Capernaum, notans *domum piscatorum*, qui in eâ habitârunt, vocatur *Civitas Petri & Andreæ*, qui inde erant oriundi. Desolatæ sunt hæ Urbes, ut de priori nil nisi rudera, de posteriori non nisi sex domunculæ supersint, teste *Hieronymo & Adrichomio in descr. terræ sanctæ.* Quia igitur constat in civitatibus præfatis & Christum & Apostolos *docuisse*, utique non nudè de miraculis Christi, sed & de verbo prædicato, miraculis confirmato, locus hic erit sumendus. *Brentius ad h. l.* sic scribit; *primum igitur sciamus, quæ sint illæ Virtutes & res gestæ, quibus cives Galilæi ad pœnitentiam fuerunt vocati. Obscurum autem non est, quod Christus ediderit quidem multa & magna miracula, sed in hunc præcipuè usum, ut veritas Evangelii, quod annunciabat, confirmaretur; Christus enim descendit de cœlo & venit in hunc mundum, ut expiaret peccata humani generis, placaret iram DEI, & impetraret, ut omnes qui in ipsum credunt, adoptarentur in filios ac hæredes DEI, & voluit ut hoc Evangelium spargeretur in mundum. Virtutes E. & res gestæ Christi de quibus hic fit mentio sunt quidem miracula ejus, sed quia hæc edita sunt ad confirmandam veritatem Evangelii, sentiendum est, quod Evangelium, quod in Civitatibus Galilææ, tam à Johanne Baptista, quam à Christo annunciatum est, illud præcipuè sit, de quo Christus hoc loco concionatur & quod nomine virtutum intelligit. Itaque exprobrat civibus Galilææ, quod cum audivissent Evangelium Christi & vidissent ipsum confirmari tam Sanctitate vitæ Johannis, quam miraculis Christi, non tamen agnoverint, sed potiùs rejecerint & damnaverint.* Subjungit deinde præfatus Author locum communem, vel doctrinam ex hoc commate, *contemptum sc. Evangelii & verbi prædicati esse peccatum lon-*

gè omnium maximum, & graviſſimum, quam non ſolùm ad hunc locum, ſed etiam in *Homil. 93. ſuper Lucam* pluribus proſequitur; Unde patet, non de virtutibus & miraculis Chriſti *ſolitariè* illum intellexiſſe hanc pericopen, ſed *& de Evangelio ab eo annunciato.* Conſentit *Fr. Spanhemius* exerc. de Grat. Sect. 30. *per Virtutes apud Corazinos, & Bethſaidenſes factas intelligi ſimul verbum, & ejus patefactionem ex eo patet, quod illius Veritas obſignaretur miraculis. Ubi itaque edebantur Virtutes, ibi etiam prædicabatur verbum;* paulò poſt; *Dominus non de nudâ prædicatione verbi, ſed de prædicatione obſignata Virtutibus, ſive miraculis loquitur.* Præſuppoſitis his & in anteceſſum præmiſſis, de verbo quoq; à Chriſto apud Galilæos prædicato. *b. l.* agi, *ipſa verbi per Chriſtum inſinuati natura* ſe offert tanquam medium aliquod ex ordinatione divinâ efficaciſſimum, ad opus converſionis producendum, nec enim dicendum eſt, *objectivè ſolùm* Chriſtum repræſentaſſe & intimaſſe Galilæis, quid facere debeant, ſed ipſo hoc verbo, quod prædicavit, tanquam medio ordinario eum pœnitentiam operari & fidem conferre voluiſſe, hocque ipſum ſeriò intendiſſe, ita ut effectus ipſo actu fuiſſet inſecutus, modo Galilæi verbo non reſtitiſſent. Naſcitur inde nobis argumentum.

XVI.

Quocunque medio adhibito, adminiculantibus licet, & in ſubſidium quoddam vocatis miraculis, Chriſtus voluit convertere Chorazitas & Bethſaiditas, ita ut converſio fuiſſet ſecuta, ſi non ſpontaneâ vocatorum obſtitiſſet repugnantia, ab illo medio proximè dependiſſet pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum, ſi virtutes Chriſti vidiſſent; Atqui *verbo prædicato*, adminiculantibus licet miraculis, Chriſtus voluit convertere Chorazitas & Bethſaiditas. &c. E. Major propoſito ſubminiſtratur ab ipſo Chriſto, qui comparationem ideo inſtituit inter Gentiles iſtos & Judæos, ut demonſtraret, eo medio adhibito pœnitentiam gentilium ipſo actu locum fuiſſe habituram, modò ſub tali ubertate admotum fuiſſet iisdem, quo tamen adhibito Galilæi minùs fuerint converſi. Minor patet ex *fine miraculorum* ſuperiùs jam tacto, cui & hoc accedit, converſionem & pœnitentiam effici *aliâs ab ipſo verbo, nullis ſub-*

junctis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0046
DFG

junctis virtutibus, procul dubio itaque ab illo proximè dependisset pœnitentia Galilæorum, tanquam medio ordinario & efficacissimo, quod etiam, semotis licet miraculis, conversionem potis est efficere.

XVII.

Duo obstare videntur, quæ sub finem hujus exercitationis removenda videntur; *Primum* est, *Cur & quâ ratione dici possit, vi verbi miraculis stipati pœnitentiam acturos fuisse Gentiles, cum tamen per hoc ipsum non moti fuerint Judæi, aliam ergò debere afferri causam, cur posito verbo eadem virtute agendi instructo, iisdemq; virtutibus & signis roborato, quidam inter auditores paris plane per omnia, quoad naturalem pravitatem & corruptionem, conditionis fuissent conversi, alii verò non conversi.* *Alterum* est, *cur Gentiles isti fuissent conversi percepto verbo miraculis Christi stipato, cum tamen proximi fuerint & vicini Judæorum, qui ut communia olim commercia aluerunt inter se invicem, ita non nescii erant, vel esse poterant sacrorum obtinentium inter populum DEI, imprimis temporibus Salomonis & Hierami, Regum conjunctissimorum*, quod ipsum movere solent *nonnulli inter Reformatos*, & quidem illi, qui negant agi hoc loco de pœnitentiâ ipso actu locum habiturâ inter Tyrios & Sidonios, cum non conversi fuerint, licet ex viciniâ verbum facillimè habere potuerint.

XVIII.

Resp. ad I. Causam quod eodem verbo operante hic convertatur, pœnitentiamque agat esse *ipsissimam verbi & gratiæ operantis efficaciam*; causam verò quod iste non convertatur, esse *libertatem hominis*, operationem gratiæ & intentum effectum suâ resistentiâ impedientis. Pœnitentiam itaque egissent *Tyrii & Sidonii*, quia virtute ipsius gratiæ operantis ulteriorem ejus motum & operationem ad producendum conversionis τὸ τέλεσμα directam non impediviſſent; pœnitentiam verò non egerunt *Galilæi isti*, quia *non* quidem *per modum victoriæ alicujus*, sed *contemptus malitiosi*, quo se vinci passi sunt magis, quam verbo Christi miraculis confirmato, ordinem divinitùs sancitum renitentiâ suâ interverterunt, quo DEUS decrevit, spretâ primâ gratiâ ad ulterius operandum se non pro-

progressurum. Si instet quis cum *Wendelino*, cur gratia operans in Tyriis & Sidoniis impediviſſet renitentiam ne fuiſſet in actum deducta, & non etiam impediverit eandem in Galilæis iſtis, *cum gratia convertens omnia debeat removere obſtacula converſionem impedientia*; Dicimus, utique *gratiam operantem ſiſtere ipſam renitentiam*, ſed *non ineluctabiliter*, ut ita renitentia in actum erumpens non oriatur ex ipſius gratiæ defectu, vel imperfectione, ſed ex *hominis libertate*, accedente ſanctione divinâ, quæ non abſolutè ad converſionem hominem adigere, vel cogere, ſed in ejus arbitrio voluit eſſe ſitum, nolle converti; & hoc modo ipſi Tyrii & Sidonii potuiſſent non converti, quia & hi potuiſſent reſiſtere gratiæ oblatæ, & operanti, non obſtante quod Chriſtus præviderit, eos ſi vidiſſent virtutes vi gratiæ operantis actu non fore reſtituros. *Ad 2.* Dicimus, inſtantiam illam à *Reformatis* motam, evertere etiam Adverſariorum hypotheſin, quam de Tyriis & Sidoniis fovent, *quaſi ex decreto quodam abſoluto à DEO fuiſſent rejecti*, omnibusq; ad converſionē facientibus mediis in totum deſtituti, ſi enim populi iſti tanquam vicini Eccleſiæ Judaicæ non fuerunt neſcii cultus inter Judæos obtinentis, deq; nomine Domini, in cujus honorem extructum fuit magnificentiſſimū templum, nonnihil ad id opus conferentibus Tyriis, aliquid inaudierunt, quomodo poteſt dici, DEUM illis denegaſſe media converſionis, eosq; non fuiſſe ad agnitionem veri *DEI Iſraelis* vocatos, ſed de hoc puncto agemus uberiùs in *Exercit. IV.* Quamvis autem *fama illa*, quam habuerunt Tyrii & Sidonii de vero cultu DEI obtinente inter Judæos, non contemnendum fuerit *medium perveniendi ad agnitionem veri DEI & analogicè* pro vocatione habeatur, *non* tamen eſt medium *proximè* ipſam converſionem operans, ſed *manuducens ad medium converſionem proximè operans, quærendum, inquirendum & obtinendum*, ut ita quod non præſtitit *medium remotum*, id prævidit Chriſtus, præſtiturum fuiſſe *medium proximum*, verbum ſcil. prædicatum, tantâ miraculorum & virtutum gloriâ coruſcum, ipſamque gratiæ oblatæ copiam & ubertatem.

EXERCITATIO III.

De

PRÆVISIONE POENITENTIÆ TYRIORUM ET SIDONIORUM.

TErtia succedit quæstio de *prævisione* pœnitentiæ Tyriorum & Sidoniorum, quam egissent, si virtutes Christi vidissent, in cujus explicatione secundùm *Analogiam fidei* institutâ quantum sit situm, *fervor adversariorum* evincit, qui præscientiam futurorum vel planè infringunt, vel ex absoluto Decreto derivant, vel ad stabiliendum Pelagianismum suo more applicant, & extendunt. Quamvis autem quidam inter *nostrates Theologos* hanc foverint sententiam, Christum non intimasse hoc in loco præcisè & infallibiliter, quod Tyrii & Sydonii pœnitentiam acturi fuissent, sed *conjecturaliter* tantùm locutum esse, quorsum referenda sunt verba *B. Brentii* Homil. 93. in Lucam. p. m. 1041. *Christus loquitur hoc loco juxtà humanam conjecturam; tantæ enim Virtutes editæ fuerunt in Bethsaidâ, Chorazain & Capernaum, ut pro humano Judicio verisimile fuerit, quod impii etiam, ac incircumcisi Idololatræ pœnitentiam egissent, si tanta miracula vidissent*; constat tamen, communiter fermè à Doctoribus Orthodoxis pro infallibili pronunciato agnosci, quod Christus affirmavit de Pœnitentiâ Tyriorum, Sidoniorumque. *Ex eo verò, quod Christus hic dicit, gentiles illos pœnitentiam acturos, si signa, quæ in Chorazin & Bethsaida edit, vidissent, rectè colligunt Theologi, quod etiam futura contingentia divinæ Omniscientiæ Objectum sint*, verba sunt *J. E. Gerhardi*, in Notis ad h. l. quibus subjungit consensum *Martini* & *B. Par.* in loco de Provid. Addere facilè possemus alios, nisi nimis noti essent. Præterea & hoc constat, præsens testimonium in materiâ

teriâ de præscientiâ futurorum sive absolute, sive conditionate, jungi Oraculo divino, quod accepit Regius Propheta, quod *Ceilitæ* illum *tradituri sint in manus soceri* sui Saulis, si sit permansurus in Civitate. *1. Sam. 23. 10. 11. 12.* quo ipso fatentur, qui duo hæc pronunciata jungere solent, non *probabiliter* conjectasse Christum, quid fieri potuerit inter Tyrios & Sidonios, *sed assertivè eum* locutum esse de eo, quod ipso actu & revera lumine infinito apud eos futurum præviderit, prout negari non debet, DEUM & prævidisse & prædixisse Davidi, quid actu, revera, & infallibiliter futurum sit, si manserit Ceilæ, quod scil. *positâ conditione more* & permansionis ejus, certissimè sit descensurus Saul, quodque infallibiliter eum sint tradituri Ceilitæ in ejus manus. Quamvis & hoc fatendum sit, licet in tertio prævisionis duo hæc oracula inter se conferantur, quatenus sc. docent, præsciri etiam ea, quæ quidem nunquam extitura sunt, sed tantùm extitura fuissent, positâ conditione quâdam, *diversissima tamen esse objecta*, de quibus agunt testimonia hæc, cum ex *libertate propriâ*, Ceilitæ voluntatem suam determinassent, ad traditionem Davidis in manus Hostis sui; contra Tyrii & Sidonii non viribus propriis, sed virtute Spiritus Sancti operantis in eis per medium efficax, pœnitentiam fuissent acturi. Hinc, quia sociantur præfata documenta, Adversarii quoque nostri *junctim* adoriri solent ambo, quod constat ex *Revio*, *Voetio*, aliisque. Interim, quod concernit *B. Brentium*, videtur ille contrarium assumpsisse propter hanc rationem, quia *putabat*, stante sententiâ de actuali Tyriorum pœnitentiâ, quæ virtutes Christi visas fuisset insecuta, *culpam* impœnitentiæ *rejici posse in DEUM* verbum populis illis non revelantem, virtutesque Messianas denegantem, quam blasphemiam, ut amoliretur, in eam venit opinionem, nondum plenè & omninò certum esse, an si habuissent talia media Tyrii, pœnitentiam egissent, prout constabat, non conversos fuisse Galilæos, utut media justa abundanter habuerint, mox tamen vir beatus *ad libertatem divinam* provocat, quod DEUS non sit obligatus, omnia dona alicui conferre, sed ostendere illum gratuitam suam misericordiam in his, in aliis autem suam severam justitiam. Sit ergò cum BONO DEO. Asser-

Thesis I.

Assertio I. *Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum sub conditione futura fuit objectum omniscientiæ & prævisionis divinæ* Negativam arripiunt *Sociniani*, qui *partim* statuunt, non necessarium scitu esse, Deo competere præscientiam futurorum; *partim* illam præscientiam *impugnant*. *Socinus* Præf. Theolog. cap. 8. *Etiamsi DEUS non omnia noscat, antequam sint, nihil tamen inde absurdi apparet, cui enim usui, obsecro, prænotio ista esset? annon satis est, DEUM cuncta regere perpetuò, ac gubernare, nec ipso planè nolente quicquam fieri posse: & certè prænotio ista tantum abest, ut DEO aliquid tribuat, ut potius ei nonnihil adimat.* Inde *alia* ejus *asserta* oborta sunt, quibus *negat, DEUM peccata, quæ à voluntate hominis dependent, præscire, antequam sint, asseritque, futurarum rerum prædictiones ex verisimilibus tantùm fieri.* *Crellius* de Deo & attr. div. *Inconsideratè faciunt, qui futura contingentia DEUM determinate scire ajunt, quia aliàs non esset omniscius, cum potius idcò ille determinatè futura non concipiat, quia est omniscius, & in rebus cognoscendis nunquam errat.* Propendere in hanc sententiam videntur *Remonstrantes*, non quidem quod ipsam scientiam attinet, sed *necessitatem* illius: Priorem, quod concernit, scribit *S. Episcop.* priori parte disp. 1. priv. disp. 5. thes. 13. *Infinita itaque meritò scientia divina dici potest, quâ cognoscuntur omnia & singula, quæ entitatem proinde veritatem aliquam habent, habitura sunt, habuerunt, habere possunt, ex hypothesi haberent, omniumque & singulorum inter se mutuò ordo, connexio, respectusque varii, qui vel ex naturâ insunt, vel libero voluntatis decreto impositi sunt, denique ipsa etiam entia rationis, complexa & incomplexa, quorum veritas in imaginatione & enuntiatione tantum existit vel existere potest.* De posteriori hæc habet parte 3. disp. 4. thes. 10. *Etsi non negemus, DEO scientiam eorum (scil. futurorum contingentium absolutè & conditionatè) attribui posse, inprimis, quia eam Scriptura DEO tribuere passim videtur, tamen an necessarium scitu sit, adhoc ut DEUS colatur, ejusmodi scientiam DEO competere, examinari permittimus;* ubi postmodum invehitur in *intricatas quæstiones*, quæ magno molimine de scientiæ illius modo & fun-

damento agitari solent : pari ratione scientiam mediam defendit *N. Grevinchovius contra Amesium*, probationisque loco adducit nostrum textum, videatur illa dissertatio p. 393. & seqq. *Calviniani* communiter (uno saltem alteroque excepto,) negant, *pœnitentiam Tyriorum & Sidoniorum potuisse esse Objectum divinæ præscientiæ*, quia nunquam extiterit, neque à DEO decreta fuerit, varia hinc causantur, ut præter alia Scripturæ & testimonia & exempla etiam præsentem locum detorqueant, alii *Hyperbolen* fingunt, alii de *fucatâ pœnitentiâ* interpretantur, alii ad *verisimilitudinem* nescio, quam confugiunt, videri hæc possunt in *Camerone, Voetio, aliisque*, quorum verba producta sunt in superioribus.

II.

Circa thesin nostram notandum est I. *Pœnitentiam Tyriorum Sidoniorumq; non referri inter ea, quæ absolutè sunt futura*, cum ipso *actu secuta non fuerit*, sed venire in ordine eorum, quæ non nisi *positâ* aliquâ conditione futura dicuntur, non enim simpliciter de illis loquitur Christus, quod pœnitentiam egerint, sed *hypotheticè*, quod eam acturi fuissent, *si vidissent virtutes*. Quamvis autem non minima differentia sit inter absolutè & conditionatè futura, constat tamen ex præscientiâ horum inferri necessariò præscientiam illorum, qui enim prævidit, quid Tyrii egissent, si vidissent virtutes Christi, ille utique etiam prævidit, quid acturi sint olim ipsi Galilæi, quibus licuit virtutes Christi aspicere, ut ita hoc testimonium possit urgeri non tantùm contra illos, qui negant præscientiam eorum, quæ conditionatè futura dicuntur, sed & contra eos, qui omnem planè præscientiam etiam absolutè futurorum inficiantur. II. *Pœnitentiam istorum* Gentilium *revera & ipso actu fuisse secuturam, si conditio*, cujus Christus meminit, *fuisset præsuppositа*, id enim quod non secutum est, neque locum habuit inter Judæos, visis miraculis Christi, locum obtinuisset inter Tyrios, vi oppositionis à Christo expressæ. Videatur Exerc. 1. III. *Tam esse objectum præscientiæ divinæ, quod positâ certâ quâdam conditione futurum est, quam Objectum ejus esse dicitur, quod reipsâ & absolutè futurum est.* Quamvis enim in *ipsis rebus* maxima sit differentia, dum quod absolutè futurum est,

in aliquo temporis puncto suam sortietur & habebit existentiam, id verò, quod conditionatè dicitur futurum, in ipsum actum non transeat, quia conditio ponenda non impletur, tamen respectu præscientiæ divinæ æquè se habent, cum *scientia* divina sit *simplex quidam & indivisibilis intuitus*; non enim cognoscit & præscit DEUS componendo & dividendo, non discurrendo & unum ex alio colligendo, de quo inferius erit agendum. Præmissis his assertionem nostram probamus: Quicquid Christus positâ quâdam hypothesi futurum intimavit, illud fuit objectum præscientiæ divinæ. Atqui pœnitentiam Tyriorum Sidoniorumq; positâ quâdam hypothesi, quam *constituunt* miracula ejus visa, futuram intimavit. Ergò *Minor* propositio habetur in textu. *Major* inde patet, quia aliquid intimare ut futurum quocunque modo, idque infallibiliter, non potest non præsupponere ejus præscientiam.

III.

Circa sententias oppositas notamus I. *Necessitatis præscientiæ divinæ elevationem.* Necessitatem hanc elevant *Sociniani* ex parte ipsius DEI, ejusque providentiæ; at quomodo locum habebunt *prædictiones* in sacris literis passim obviæ? Potestne pro *argumento veræ Deitatis* contra Deastros Gentilium allegari *prædictio futurorum infallibilis*, si nihil absurdi sequitur ex negatione præscientiæ divinæ. Esa. 41. ℣. 22. elevant eandem quoad *subjectum fidele*, quod tale possit esse licet eam neget; at quomodo vaticiniis divinis fidem habebit, cui integrum est dubitare de præscientiâ vaticinia inspirantis? quomodo fiduciam in providentiam divinam ponet, qui dubitat innumeros casus sibi obvenire posse DEO inscio? quomodo certus est, DEUM amoliturum à se infortunia, qui incertus est, an noverit, infortunia obruitura esse eundem? quomodo *David* fugâ sibi consulere potuit monitus a Oraculo divino, si maneret, & Saulum adventaturum ad urbem, & Incolas urbis eum esse tradituros, si nulli usui est prænotio illa divina? Ipsi *Remonstrantes* seipsos refutant, proque necessitate præscientiæ divinæ pugnant, dum *de prævisione fidei ad electionem* contra Adversarios suos agunt, absolutumque electionis Decretum nobiscum impugnant, in quo puncto operosus inprimis fuit *Grevinchovius*

chovius contra Amesium; asserunt quoque eandem dum fundamentum Præscientiæ Calviniſtarum, *prædeterminationem scil. inluctabilem* infringunt, infinitatemque essentiæ, & eminentem Intellectus mentisque divinæ perfectionem substituunt, quo ipso pro *tali attributo* agnoscunt omniscientiam, quæ ratione Objecti futuri dicitur præscientia vel prævisio, quod *salvâ essentiâ & perfectione Intellectus divini à DEO abesse nequit.* II. *Præscientiæ divinæ negationem.* Negant illam *Sociniani*, quorum tamen rationes menti divino cultui deditæ non satisfaciunt. Fundant 1. veritatem prædictionum divinarum in nescio *quâ verisimilitudine*, docent procedere vaticinia ex verisimilibus; ô lubricum fundamentum, cui qui inædificat, super arenam ædificat; scil. fiduciam ingenerare poterant Prophetiæ de Messiâ pro peccatis nostris offerendo, caput serpentinum conculcaturo, si verisimiles fuere. Quale gaudium fuisse putabimus *Patris credentium,* dum probabiliter ex verisimilitudine collegit, & eminus vidit diem Domini? & quæ sunt ista verisimilia, unde concludere pro hoc die potuit. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω, inquit Apostolus Rom. 14. 5. At quomodo unusquisque certus esse potest in suo animo, qui pro fundamento certitudinis habet non infallibilitatem prædictionis, sed verisimilitudinem. Non ex verisimilibus, sed *infallibilitate prædicentis futurorum* veritatem derivandam esse docet *Esaias* cap. 34.16. *Quærite ex libro Jehovæ, & legite, unum ex his defuturum non est, unum alterum non desiderabunt.* 2. Providentiam divinam *absque præscientiâ* futurorum stare posse clamitant. At nos contrarium judicamus verum, non solum permoti *authoritate Scripturæ*, sed & *ipsâ Providentiæ divinæ natura* & statu. Quamvis enim de Providentiæ requisitis variè loquantur Doctores, eandemque alii formaliter in *Gubernatione* universi comprehendente sub se tum rerum *conservationem,* tum *concursum*, tum *directionem* consistere autument, prærequiritur tamen ab omnibus fermè *præscientia futurorum contingentium;* nos unico exemplo rem demonstrabimus. Herodes Magis Bethlehemum proficiscentibus seriò injunxit, ut invento novo Judæorum Rege reverterentur & indicarent, ubi inveniſſent, quem quæsitum tantum

iter

iter emensi sunt; molitiones sanguinarias, quas tegebat, vidit DEUS, prævidit que unà, quod si subsisteret infans recens natus Bethlehemi, Herodes eundem è vivis esset sublaturus; quamvis autem negari non possit, potuisse DEUM Infantulum illum incolumem servare, adventante licet Rege, vel servos suos emittente, constat tamen, DEUM ex præscientiâ illâ, quâ prævidit deletionem Infantis, quam procuraturus erat Rex, prospexisse Christo, inque mandatis dedisse Parentibus ejus, ut abirent in Ægyptum, fugaque sibi consulerent. Plura ejusmodi exempla in sacris occurrunt, quæ pios contra hostium suorum machinationes clancularias, aliaque infortunia animant, dum indubii sunt, omnia DEUM cognita habere, quæ ipsis eventura sunt, & pro suâ præscientiâ ea esse dispositurum, directurumque, ut vel planè, quæ nocent, amoveantur, vel mitigentur, vel ad bonum finem ordinentur. 3. Putant, præscientiam futurorum contingentium DEO derogare, ejusque omniscientiam imminuere, quia *contingentia non sint certa, & determinatè vera*, fieri itaque posse, ut DEUS erret, si non eveniat, quod præsciverit. At timet impius, ubi non est timor; ut enim res cognosci potest, etsi nondum existat; ita futurum contingens habet determinatam veritatem, *non determinatione antecedente*, sic enim periret libertas agendi, sed ex *concomitante*, quæ oritur ex determinatâ rei existentiâ; non ergo DEUS præsciens futura errare potest, licet enim futurum contingens seu indifferens sit ad existendum vel non existendum, propter libertatem causæ & virtutis, tamen DEUS præscit, quod *Causa libera suo tempore ad agendum potius, quam non agendum seipsam sit determinatura vel non repugnatura.* Ut itaque scientia DEI rebus contingentibus nullam infert necessitatem, cum non faciat res futuras, sed eas supponat: ita neque libertas agendi vel non agendi infallibilitatem præscientiæ tollit, quia præscientia infinita facilè penetrat, *in quam partem seipsam olim ipso actu determinatura sit causa liberrimè agens.*

IV.

Negant præscientiam futurorum conditionatorum communiter *Calviniani*, in quo puncto nimis operosi sunt *Twissus, Voëtius, Rhetorfort*, qui Objectum illius scientiæ habent pro non-Ente, nihi-

nihilo, & puro figmento, quia non habeat *causam ab æterno existentem*, cujus virtute è statu rerum possibilium transire potuerit in statum rerum futurarum, quæ tamen causa alia esse non possit, quam *decretum divinum absolutum*, & in hoc punctum totam difficultatem eorum, quæ disputantur contra scientiam mediam, recidere fatetur *Voetius* T. 1. d. sel. p. 336. rationemque appositam in omnibus ferè paginis Vol. sui de scientiâ mediâ repetit *Twissus*.

V.

Impingit hæc sententia I. *falsi principii, unde res futura dependere dicitur, assignatione.* Non negari potest, requiri decretum & voluntatem operandi, concurrendi, vel permittendi in DEO, ut id, quod futurum est, fieri possit, si enim DEUS concursum suum suspenderet, creatura nihil agere posset unquam, *in DEO siquidem sumus, vivimus & movemur.* Act. 17. Sed hoc est, quod concedere Reformatis nullo modo possumus, *causam*, cur res futura sit, *esse Decretum DEI*, & quidem *prædeterminans*, ita, ut proxima & formalis ratio, cur res hæc futura sit, dicatur esse Decretum illud divinum. Rem duobus exemplis explicabimus. DEUS Davidi optionem dedit eligendi pro lubitu certum quoddam mali pœnæ genus ex tribus, quæ repræsentavit ei Propheta Gad, elegit ille pro suâ libertate & judicio pestem, hæc electio ab æterno fuit præscita à DEO, qui quia prævidit, Davidem voluntatem suam liberrimam factâ hac trium pœnarum propositione determinaturum esse ad pestem eligendam, decrevit quoque concurrere ad electionem pestis, ut ita *non indiscriminatim saltem* decreverit, cum Davide se velle concurrere, quicquid elegerit, quatenus concursus divinus erat paratus & præsentissimus Davidi, si elegisset famem, vel gladium, sed *& in specie*, se velle concurrere ad eligendam pestem; Si jam ratio futuræ electionis pestis ab æterno prævisæ statuatur decretum divinum, quomodo potuit locum habere *optio Regi data*? annon ridicula fuisset oratio Prophetæ, elige vel pestem, vel gladium hostis, vel famem, sed ego jam ab æterno te prædeterminavi ad eligendam non nisi pestem? annon potuisset replicare David, frustra optionem offerri, cum DEUS jam decreverit, quale genus mali ei immissu-

missurus sit. Contra verò manet Davidi sua libertas, si secundùm sensum nostrum Orthodoxum statuatur, DEUM non solùm in genere decrevisse concursum suum ad electionem cujuscunque generis, inter tria ista mala, sed & in specie ad electionem pestis, prævisâ & præscitâ ab æterno liberâ voluntatis Davidis ad hanc partem determinatione. *Alterum* habetur in nostro textu: *Chorazitæ & Bethsaiditæ* respuerunt extremè Evangelium à Christo miraculis confirmatum, respuitio illa mediorum tam ubertim oblatorum ab æterno à DEO erat præscita, decrevit DEUS, se permissurum esse hanc respuitionem & contemptum in tempore olim extiturum, idque ab æterno, si igitur contemptus ille ante suam existentiam actualem, cum adhuc futurus erat, pro causâ habuit decretum divinum, annon causa contemptus prima & proxima constituitur ipsum decretum divinum? annon potuissent Galilæi illi excipere, contemptus noster, quem elicimus pronunc, repudiando & non admittendo media salutis, ab æterno fuit decretus, ita ut unica & solitaria ratio, quod fuerit futurus, resideat in decreto divino, non ergò culpandi sumus in hoc, cùm non nostrâ culpâ in actum prorumpat, & actualiter jam existat, quod vi solius decreti divini futurum erat. Item si causa futuræ pœnitentiæ Tyriorum & Sidoniorum fuisset *Decretum prædeterminans*, annon jure optimo potuissent reponere Chorazitæ, se non esse in culpa, quod non egerint pœnitentiam, visis licet virtutibus Christi, quia non nisi ob defectum & absentiam decreti divini pœnitentia eorum non fuerit futura. Contra verò si statuatur, cum ipsâ prævisione impœnitentiæ olim propriâ & liberâ Galilæorum voluntate exercendæ concurisse Decretum de permittendo, culpa impœnitentiæ unicè redundat in Galilæos. Ita si dicatur, DEUM conditionato decreto producturum fuisse pœnitentiam in Tyriis & Sidoniis, si virtutes Christi vidissent, præscito hoc, quod, non quidem vi naturalium facultatum, sed *virtute gratiæ divinæ*, media adhibita non contempturi sed admissuri fuissent, iterum omnis culpa hæret in Galilæis, quos prævidit DEUS media admota, gratiamque divinam ipso actu rejecturos esse.

VI.

II. *Ineptâ futuri delineatione.* Concipiunt *Calviniani* futurum abstractè sumptum *pro re quâdam incomplexâ & simultaneâ*, quæ extet ab æterno extra suam causam, decretum scil. divinum, & ita negant, futurum habere posse suam determinationem à causâ in tempore modo operaturâ, cum ab æterno verum sit, rem esse futuram, causa autem illa non sit æterna, sed in tempore; & in hoc invento mirè sibi placent *Dominicani, & Reformati*, cui deinceps totam doctrinam de Necessitate Decreti prædeterminantis superstruunt; sed dolendum est, tot & tantos Viros tantas fovere hactenus potuisse ineptias, easque adhucdum continuare. *Futurum* est *complexum quid & successivum*, complectitur enim duo contradictoria: dum enim dico, Christus venturus est ad Judicium, duo involvo, *primò Christum nondum venisse* ad Judicium; *secundò, ejus Adventum olim & suo tempore locum habiturum*, & hâc ratione, si Adventus Christi futurus adæquatè & in totâ suâ latitudine consideretur, ejus futuritio duabus absolvitur partibus, *carentiâ scil. existentiæ*, quod enim futurũ est, id nondum est præsens, & *existentiâ postea suo tempore locum habiturâ;* positis his, constat τὸ futurũ in Adventu Christi non existere adæquatè die hodierno, quia *hodiè* tantum præsens est & existens prior ejus pars, scil. *absentia Adventus*, altera autem pars, *actualis scil. existentia* non est præsens, sed *expectanda*. Est quoque futurum *successivum* quid, nam ut ab æterno, tempore Adami, Patriarcharum, ante mille annos imò heri potui dicere, futurus erat Adventus Christi, ita hodiè adhucdum futurus dicitur, diceturque futurus pluribus post annis, usque dum actu ingruat. Non ergo futurum debet existere extra causas suas, & esse aliquid jam productum, dum est futurum, quia *futurum essentialiter respicit rem carentem quidem pronunc existentiâ suâ, eam autem suo tempore actu habituram*. De Impœnitentiâ Galilæorum ab æterno poterat dici, quod sit futura, ejus autem futuritio adæquatè & totaliter non existebat ab æterno, ideoque neque debuit habere causam producentem ab æterno, sufficit, eam prævisam esse, ut *actu olim* à Galilæis *exercendam*, nam posito hoc, quod actu Galilæi impœnitentiam fuerint

fuerint exercituri, & ut tales prævisi, non potuit non antea concipi ejus futuritio. Quod concernit conditionatè futura, itidem non existere debent ea ab æterno extra suas causas, licet prævisa sint à DEO; sufficit ad eorum prævisionem, quod *positâ conditione olim suo tempore, suis de causis, extitura fuissent.* Adventus Saulis ad urbem Ceilam, & traditio Davidis in illius manus ab æterno fuere prævisa, licet non extiterint ab æterno extra causas suas, sed olim ipso actu locum habuissent, si David mansisset in urbe.

VII.

III. *Insipidâ à non-existentiâ Objecti ad negationem cognitionis ejus collectione.* Negant *Reformati*, potuisse prævideri pœnitentiam Tyr. & Sidon. quia non fuerit deducta in actum; at si hæc ratio militat, neque *possibilia* poterunt cognosci, utpote, quæ actu non sunt: procedit quidem argumentum, si habeatur respectus ad *scientiam visionis*, quæ dicitur pro *Objecto* habere id, quod *absolutè futurum est;* at ad Objecta sub conditione futura applicari neutiquam potest.

VIII.

Assertio II. *Prævisio Pœnitentiæ Tyr. & Sidon. quam egissent visis Christi virtutibus, dependet ex perspicaciâ Intellectus infiniti, qui actu scientiæ æterno penetravit, quid visis à Tyriis, & Sidoniis virtutibus Messianis fuisset futurum.* Præsupponimus, ante omnia tanquam indubitatum, intellectum divinum *infinito lumine* esse collustratum, non quidem *per modum alicujus puræ potentiæ* modo determinandæ; vel *habitus* potentiam naturalem facilitantis & perficientis, sed per modum *actus simplicissimi*, sibique omnimodo sufficientis, adeoque extendere se ad omne scibile. *Omnia enim novit DEUS.* Joh. 21. 17. quia verò in signo rationis Scientia DEI *posterior* est suo objecto, ita ut scientia non sit causa rei præscitæ, sed *Objectum*, quod cognoscitur, scientiæque objicitur, suo modo antecedat, & ita certitudinem aliquam in seipso habere debeat, quomodo *Ecclipsis Lunæ* futura est, suamque habet certitudinem determinatam, antequam prævidetur vel prædicitur; fundamentum hujus certitudinis objectivæ variè assignatur ab Authoribus, confugiunt alii ad *rerum ipsarum in æternitate præsentiam*

tiam, DEO omnia futura ab æterno esse præsentia, æternitatique coëxistere, quicquid nobis præsens, præteritum, & futurum est: alii ad *Decretum divinum*, indeque pendentem prædeterminationem physicam vel moralem. Nos ut certitudinem & infallibilitatem præscientiæ divinæ *ex parte cognoscentis* non aliunde petendam judicamus, *quam ex infinitâ vi & perspicaciâ intellectus divini*, ita ex parte *rei cognitæ* adscribimus eam *determinatæ veritati futurorum contingentium*, quæ sive absolutè sive conditionatè futura sunt, verè tamen futura sunt, vel futura essent, si *conditio impleretur*. Oppidò tamen hic distinguendum est inter *determinationem antecedentem & concomitantem; prior* hic exulat, quia *se habet ex parte causæ necessariæ*, effectuique necessitatem infert cum destructione libertatis: *Posterior* interim assumitur, quæ oritur ex *determinatâ rei existentia*, quam ipso actu est habitura, vel esset habitura, positâ conditione. Exemplo rem illustrabimus. Prædixit DEUS per Jonam, *Ninivitas* perituros, urbemque ipsam eversum iri, nisi pœnitentiam agerent; prævidit præterea, *ipso actu Ninivitas pœnitentiam acturos*, quod licet absolutè non erat futurum, futurum tamen erat *impletâ hypothesi*, prædicatione sc. propheticâ. *Duo* hic sunt *Objecta prævisionis*, quæ conditionem & hypothesin certam supponunt, *ruina urbis*, & *ejus conservatio*, cum pœnitentiâ incolarum; utrumque prævidit DEUS *sub hypothesi* secuturum, ruinam quidem & eversionem sub conditione impœnitentiæ, licet enim hæc actu insecuta non sit, necessariò tamen à DEO fuit prævisa, tanquam futura sub conditione, aliàs prædicere non potuisset; conservationem verò & pœnitentiam Ninivitarum prævidit sub conditione prædicationis propheticæ: quamvis enim ea fuerit Natura prædicationis verbi divini, ut effectus non semper & infallibiliter eandem insequatur, propositioque hæc (Si Jonas inter eos prædicaverit, Ninivitæ convertentur) ita sit comparata, *ut consequens ex antecedente non eliciatur necessariò*, sed possit etiam non sequi, aut sequi ejus contradictoria, sufficit tamen ad ejus veritatem salvandam antecedente actu existente, etiam consequens esse futurum, Ninivitasque gratiæ convertenti nullum posituros esse obicem. Et licet homo penetrare

trare non potuerit, an positâ & impletâ conditione, prædicatione sc. propheticâ, Ninivitæ sint pœnitentiam acturi, *DEUS* tamen prævidere potuit, qui *infinito lumine perspexit, non esse eos malitiosum obicem posituros.* Vice versa hæc præpositio, si Ninivitæ non agent pœnitentiam, peribit urbs post 40. dies, ita est comparata, ut quidem consequens ex antecedente non sequatur necessariò & absolutè, sed *ex solâ DEI ordinatione;* salvatur autem propositio illa, & habet suam determinatam veritatem, quia positâ conditione, Impœnitentiâ sc. Ninivitarum, revera urbs periisset, quod ipsum sufficiens fundamentum est prævisionis, cujus objectum potuit esse ruina urbis actu quidem non secuta, positâ tamen conditione non emansura.

IX.

Præmissis hisce sensus nostræ assertionis fit manifestus, *Intellectum divinum penetrasse & prævidisse, quod pœnitentia Tyr. & Sidon. ipso actu insecuta fuisset, positâ conditione,* si inter eos factæ fuissent virtutes Christi, ut ita propositio hæc, si Tyrii & Sidonii vidissent miracula Christi, pœnitentiam egissent, veritatem & certitudinem suam sufficientem habeat, ut potuerit esse objectum scientiæ divinæ, licet e. pœnitentia illa actu non extiterit, positâ tamen conditione extitura fuisset. Non enim ad salvandam hujus propositionis veritatem *necessariò* requiritur, ut *antecedens & consequens actu existant,* sed *sufficit, quod utrumque eorum existere potuerit,* prout sufficit, impœnitentiam Ninivitarum, & urbis destructionem potuisse existere, ad salvandam hanc propositionem, si Ninivitæ non agent pœnitentiam, peribit urbs, patetque veritas hujus propositionis *ex naturâ propositionis promissivæ;* promisit Deus *Jeroboamo* regnum stabile sub conditione obedientiæ 1. Reg. 11. ℣. 28. *Si audieris omnia, præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris, quod rectum est coram me, custodiens præcepta mea & mandata mea, sicut fecit David servus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, &c.* Propositio hæc utique fuit vera, si Jeroboam custodiet mandata divina, habebit domum stabilem ad instar Davidis, quamvis nec antecedens, nec consequens actu extiterit, ut enim Je-

roboam non custodivit mandata DEI, ita nec habuit regnũ firmum; ad salvandam autem Propositionis *promissivæ veritatem* sufficit, positâ & impletâ conditione, determinatè & verè secuturam esse rem promissam. Si ergò Propositio hæc, si Jeroboam custodiet mandata DEI, habebit regnum stabile, habet suam determinatam veritatem, ut firmitas regni Jeroboamici *potuerit prædici* & promitti, imò *prævideri à DEO*, videre non licet, cur propositio hæc, si Tyrii & Sidonii vidissent miracula Christi, pœnitentiam egissent, non potuerit habere suam determinatam veritatem, pœnitentiaque sub conditione appositâ non fuerit objectum prævisionis & prædictionis divinæ? Quod concernit *connexionem* hujus Propositionis; Si Tyrii & Sidonii vidissent miracula Christi, pœnitentiam egissent, concedimus, *consequens ad antecedens non sequi necessariò & absolutè*, aliàs etiam Galilæi egissent pœnitentiam, apud quos antecedens habuit locum, cum tamen contrarium secutum sit; & quamvis inter Tyrios & Sidonios factæ fuissent virtutes, adhuc tamen *in eorum libertate fuisset*, positâ prædictâ conditione non converti, prævisio enim pœnitentiæ conditione impletâ futuræ non necessitasset pœnitentiam Gentilium istorum, quæ nititur liberrimâ non rejectione, sed admissione mediorum salutis, quæ virtute non propriâ, sed *gratiâ divinâ* prævisa fuit locum habitura infallibiliter inter populos istos, posito, vidisse eos miracula Christi, prout respiciendo antecedenter ad libertatem Kegilitarum in eorum arbitrio fuisset adventante Saule Davidem tradere vel non tradere, prævisio enim traditionis sub conditione adventus Saulis & permansionis Davidis futuræ non necessitassel traditionem, cum prævisa fuerit non aliter, quam quia positâ istâ conditione Kegilitæ *liberrimè voluntatem suam fuissent determinaturi* non nisi ad traditionem. Prout itaque se res habet circa prævisionem eorum, quæ actu ipso & absolutè sunt futura, ut prævisio futuris nullam inferat necessitatem; ita quoque comparatum est cum conditionatè futuris, in subjectis liberrimè agentibus, & vel ex propriâ virtute se determinantibus, vel supernaturali principio malitiosè non recalcitrantibus.

X. Asser-

X.

Assertio III. *Pœnitentia, quam Tyrii & Sidonii egissent, visis miraculis Messianis, non fuit Objectum scientiæ mediæ à Jesuitis assertæ.* Una quidem, eaque *simplicissima in DEO est scientia*, ut in partes vel species dispesci non possit, ob diversam tamen *habitudinem Objectorum* communissimè hactenus fuit distincta in *scientiam liberam seu visionis*, cujus Objectum sunt omnia, quæ vel fuerunt, vel sunt, vel erunt; *& in scientiam naturalem seu simplicis Intelligentiæ*, cujus objectum sunt res possibiles, quæ esse possunt, nullamque involvunt repugnantiam. *Tertiam speciem* superaddunt *Jesuitæ* & recentiores scholastici, Scientiam *scil. mediam.* Εὕρημα hoc magnopere à modernis decantatum adscribitur *Molinæ*, quanquam Præceptor ejus *Fonseca* non parum de commento hoc primùm à se excogitato & à discipulis expolito glorietur *l. 6. metaph. c. 2. p. 6. sect. 8.* Dicitur alias *conditionata*, non quidem quod in DEO ab æterno non existat, existere autem posità conditione possit, sed *respectu Objecti*, quod sunt res sub certâ conditione futuræ, si scil. agens in hoc vel illo statu poneretur. Scientiæ mediæ nomen habet exinde, quia inter scientiam visionis & simplicis Intelligentiæ *media* est, plus enim cognoscit quam Objectum visionis, quod sunt res absolutè & certò extituræ, Objectum enim ejus esse dicuntur non res merè possibiles, nec absolutè extituræ, sed quæ ex hypothesi positâque certâ conditione erant extituræ. *Causa introductæ hujus Scientiæ mediæ est expeditior demonstratio concordiæ, præscientiæ divinæ cum libero arbitrio*, nam per illam Scientiam DEUM ante omne Decretum voluntatis suæ prædeterminantis actum futurum cognoscere, quid voluntas hominis ex innatâ suâ libertate actura esset, si in talibus circumstantiis poneretur; applicando hoc ad Tyrios & Sidonios, dicendum esset, DEUM prævidisse, quod ex *innatâ suâ libertate* pœnitentiam fuissent acturi, si vidissent virtutes Christi, *antequam decreverit, quod ad actum* conversionis ipsos prædeterminaturus esset.

XI.

Media hæc Scientia impugnatur communiter à *Reformatis*, inque

inque hoc Puncto operosissimus est *G. Twisse*, qui totum tractatum hac de re scripsit; secutus est eundem *G. Voetius T. 1. disput. select.* quamvis nonnulli dissentiant, iique non infimi subsellii, paria præstant *Dominicani*. Inter nostrates sunt, qui tertiam illam speciem admittere videntur; alii non magnopere se repugnaturos fatentur, si quis Scientiam futurorum contingentium, quæ ex conditione pendent, conditionatam vel alio nomine appellare velit, modo non ut *tertium membrum* à Scientiâ visionis & simplicis Intelligentiæ constituatur, sed vel eadem cum illis sit, vel ad alterutram harum vel utramque etiam referatur; alii plane eandem negant, prout scil. incrustatur à Molinistis; possunt hæ sententiæ videri apud *Dn. Calov.* T. 2. syst. p. 522. *D. Hoffmannum* disput. inaug. de prov. div. th. 24. *D. Hulsem.* de prov. div. p. 50. Nos quid de hoc puncto sentiendum sit, tribus insequentibus aphorismis expeditum dabimus. Primus esto hic: *Futura conditionata, sive conditio impleatur sive non, sunt Objectum divinæ omniscientiæ, daturque illorum conditionatorum notitia in DEO, sepositò, an & quo speciali titulo sit insignienda.* Theorema hoc opponimus illis, qui *absolutè & simpliciter* omnem scientiam mediam negant, respiciendo non solùm ad terminum, vocemque novam, & ad intentionem eorum, qui eam pro tertio scientiæ divinæ membro reliquis duobus communissimè hactenus receptis contradistincto, optimoque conciliandi Providentiam divinam cum libero arbitrio medio venditant, sed & ad *ipsam conditionatorum notitiam* præcisè sumptam, quod inprimis facere videntur *Reformati cum Dominicanis*, dimissis pronunc Socinianis & Arminianis, de quibus circa I. assert. Exercit. fuit actum. Econtra nostros Theologos, quos quidam scientiam mediam asserere videmus, sententiam suam intellectam velle ad mentem theorematis nostri, indubii sumus planè; hinc *Dn. D. Calovius fatetur* T. 3. pag. 1153. *quicquid egerit l. c. de scientiâ mediâ, adversùs Calvinianos nonnullos & Pontificios quosdam fuisse actum.*

XII.

Secundus hic est: *Notitia conditionatorum futurorum non consti-*

constituit separatam scientiæ divinæ speciem in oppositione ad scientiam visionis & simplicis Intelligentiæ. De nudo notitiæ illius nomine non quidem videtur *litigandum*, sufficit eam concedi *utcunque exprimatur*, modo nomenclatura sit talis, ut non siniſtri quid foveat vel ex se vel ex intentione adversariorum. Sunt qui eam vocant *conditionatam*, quod nomen non videtur esse improbandum, si saltem respectus habeatur *ad ipsum Scientiæ hujus Objectum*, quod sub conditione futurum est; Sin applicetur ad *ipsam cognitionem* & apprehensionem mentis divinæ, *tolerari non potest*. diceret enim quandam imminutionem Intellectus & Scientiæ divinæ. Quicquid autem sit de nomine, quo quis appellare velit hanc conditionatorum scientiam, respiciendo tamen *ad rem ipsam*, diversam peculiaremque scientiæ speciem non constituit, ad quam autem speciem referenda sit, de eo non convenit inter Doctores. *A. Walæus* ad scientiam *simplicis Intelligentiæ* reducit, quem sequitur L. *Crocius*. D. *Hulsemann.* refert eam ad notitiam *necessariam & naturalem divinæ visionis*, quæ in art. de prov. non habeat pro Objecto possibile & impossibile, absolute sic dictum, sed ex volitione DEI futurum & non futurum. *D. Hoffmann.* disput. cit. postquam th. 24. in genere dixisset, *scientiam hanc vel omninò eandem esse cum duabus speciebus hactenus receptis, vel ad alterutram, aut utramque etiam referri*, th. 26. Hoc observandum esse dicit, *quod conditio quæ huic scientiæ apponitur, & ut conditionata dicatur, facit, vel sit futura vel non; si illud, jam pertinere ad Objectum visionis, quæ ea considceret, quæ præterita aut futura sunt; si hoc, tum ad Objectum scientiæ simplicis Intelligentiæ referendam esse. Lud Crocius diss. 6. p. 335.* mentionem facit quorundam, qui parum referre existimant, sive revocetur ad eam, quæ est simplicis Intelligentiæ, sive non ad eam revocetur, sed tertia constituatur, modò res ipsa maneat. Nos relicto unicuique suo Judicio sententias has *non adeò differre*, & ex aliâ atque aliâ terminorum quorundam suppositione enatas arbitramur, quas hoc modo conciliari posse speramus, *I. futura conditionata, quorum conditio impletur, sunt Objectum Scientiæ visionis, quorum conditio non impletur, sunt itidem Objectum visio-*

nis, quia non impletâ conditione futurum non est futurum, Scientiâ autem visionis DEUS tam videt, quod futurum est, quam quod non futurum est. 2. Futurũ conditionatum, objicitur simplici Intelligentiæ, quæ cognoscit id, quod est possibile ex suis causis, vel futurum sub conditione, licet id non fiat, neque unquam actu existiat: *esset itaque Scientia futurorum conditionatorum, quorum tamen conditio non impletur, modus Scientiæ simplicis Intelligentiæ.*

XIV.

Sequitur *tertius: Scientia media ineptum est medium ad conciliandum concursum gratiæ divinæ cum libertate voluntatis humanæ;* ineptissima est ad hoc præstandum, quia præsupponunt ejus defensores *congruentiam quandam gratiæ hoc, vel illo modo, loco, tempore, vel aliâ circumstantiâ conferendæ cum naturali hominis temperamento*, ita ut DEUS tale temporis intervallum prævideat, debeatque expectare, quo & non alio homo sit convertendus, & gratiam admissurus, cum tamen ejusmodi congruentia plane nulla sit, in quocunque enim temporis articulo homo *irregenitus* constitutus sit, *semper & indivulsè ei adhæret summa ineptitudo ad capessendum mysteria regni DEI*, si non per gratiam DEI aptus reddatur ad ea percipiendum; prout *naturaliter mortuus*, quomodocunque consideretur, eodem modo est ineptus ad vitam ex se & suis viribus sume dam, si non Principio alieno animetur, vitaque ei infundatur. Ineptissima est præterea scientia ista media ad concordandam libertatem arbitrii cum infallibilitate præscientiæ divinæ & efficacitate mediorum gratiæ, quia ipsi *Jesuitæ* eam à *scientiâ visionis discriminant*, ut peculiarem speciem, & ita concedunt, DEUM nunquam decrevisse, se ipso actu velle vocare hominem sub tali vel tali statu constitutum, in quo gratia magis congruit, quam sub alio; *si enim DEUS hoc decrevisset*, & hoc modo ordinariè vocaret homines, qui convertuntur, *procul dubio hoc omne caderet sub scientiam visionis*, neque mediâ illâ scientiâ opus esset, utpote quæ non habet pro Objecto hominem actu convertendum vel non convertendum, sed saltem quatenus positâ hypothesi est convertibilis vel non convertibilis, quod tamen difficultatem controversiæ de conversione non tollit.

Patet

Patet itidem *figmentum adminiſtrationis gratiæ vocantis juxta ſcientiam mediam* exinde, quia *multi vocantur, ubi* aptum *eis non eſt*, & quidem *eo temporis articulo*, quo DEUS prævidit, non-ſecuturos; ita *Phariſæi erant vocati, licet non crediderint, & ut non crediturі prævi ſi fuerint* Joh. 12. Inventum itaque mediæ ſcientiæ, quod adeò extollunt Jeſuitæ, noſtri meritò rejiciunt, cum non gratiæ cum libertate ſummâ conciliandæ, ſed *Semipelagianiſmo* inſerviat, ſit *deſtructivum gratiæ divinæ, ejuſque adminiſtrationem impugnet.* Paulò uberius hæc delineata ſunt, non ſolûm, ut qualis Scorpio lateat ſub lapide mediæ ſcientiæ, pateat, ſed & ut aſſertio noſtra evidentior fiat, quod Pœnitentia Tyr. & Sid. non fuerit Objectum Scientiæ mediæ à Jeſuitis aſſertæ, cujus aſſerti fundamentum jam propoſuimus th. 9. Exercit. 2. ſcil. poſitâ hâc ſententiâ, pœnitentiam acturos fuiſſe Tyr. & Sidon. quia gratia adminiſtrata ſub certâ circumſtantiâ temporis, loci & inclinationis, in quâ magis congruens eorum ingenio fuiſſet, quam ſub aliâ, efficax fuiſſet, *potuiſſe Judæos excipere*, ſe non poſſe culpari, quia non ſub tali ſtatu vocati fuerint, quo Tyr. & Sidon. fuiſſent vocati, ſecùs ſi eo tempore, quo gratia ingenio eorum magis congruiſſet, vocati fuiſſent, etiam pœnitentiam inter eos fuiſſe inſecutam, debere itaque Chriſtum expectare momentum illud temporis, in quo magis diſpoſiti ſint.

SUPPLEMENTUM.

QUi magno aliâs molimine ſcientiam conditionatè futurorum inter *Reformatos* impugnant, immemores tamen hypotheſeos ſuæ palmariæ nonnunquam ad eam delabuntur. *G. Twiſſus* l. 1. de Sc. med. c. 27. agnoſcit *generale aliquod DEI propoſitum, ſive decretum de ciendis creaturis ſuis ad motus ſuos congruenter naturis ipſarum.* Periculoſam vocat hanc locutionem *Voetius*, ex qua non minus colligi poſſit *ſcientia media*, quam ex Molinæ ſententia ſtatuentis, DEUM ex ſupercomprehenſione cujuslibet liberi arbitrii creati videre, quid in his illisve circumſtantiis acturum eſſet,

set, cum ista supercomprehensio includat & inspectionem dispositionis naturalis, intimarumque liberi arbitrii fibrarum, & propositi illius de congruenti motione generalis, ut Twissus ait. Vide T. 1. disput. sel. p. 290. Idem notavit *Jac. Revius*, qui præter alia absurda emergentia ex sententia *Twissi*, judicat scientiam mediam posse exinde stabiliri, in Suarez. repurg. p. 634. *consideret Twissus, quidnam differat hæc scientia à concursu illo DEI, quem voluntatis nostræ arbitrium non præcedere, sed subsequi volunt Jesuitæ, &c. Voetius* l. c. p. 294. hæc habet; *Concedo omnia illa hypothetica enunciata ex Scripturis allata loqui de eo quod futurum & non quod præsens est; item firmissimam esse inter antecedens & consequens connexionem, ita ut quam certò DEUS est verax, tam certò illa sic, vel sic ut prædicta erant, eventura fuisse; considerato hic etiam loco Matth. XI. de Tyriis & Sidoniis ante ipsorum finalem in peccatis perseverantiam, & mortem.* inepta sunt, quæ subnectit; *dico, quod DEUS futura illa conditionata ab æterno viderit & nunc adhuc videat, non per mediam aliquam, sed per visionis scientiam in decreto suo prædeterminante connexionem, & concatenationem non tantum omnium entium præstituto tempore futurorum, sed etiam ullo tempore possibilium,* cum decreti prædeterminantis, & scientiæ visionis objectum non sit nisi quod ipso actu & revera futurum est.

In thesi 9. Error calami occurrit, qui sic corrigendus est, ut in locum verborum, *sufficit quod utrumque eorum existere potuerit*, substituantur hæc: sufficit quod posito antecedente actu extitisset consequens, prout sufficit positâ impœnitentiâ Ninivitarum urbis deletionem actu fuisse insecutam, hanc e. fuisse mentem nostram, evidenter demonstrant, quæ sequuntur.

EXERCITATIO IV.

De

DEFECTU VIRTUTUM CHRISTI INTER TYR. ET SID.

IN superioribus exercitationibus tum de *naturâ* pœnitentiæ, quam Tyrii & Sidonii sub conditione Visarum Virtutum Messiæ egissent, tum *de causis* pœnitentiam istam generaturis, sufficienter putamus actum, circa quæ duo puncta non possumus non laudare consensum *Ben. Aretii*, Theologi Bernensis, ita scribentis ad locum nostrum: *Gentiles Urbes, Tyrus, & Sidon seriò id præstitissent, quod Judæi non præstiterunt;* & paulo post. *Tyrii postea in Paulo audiendo declararunt, quam verè de iis pronunciarit hîc Christus* Actor. 21. 3. Ut autem hactenus diseruimus de eo, quod factum non est, sed tantum positâ certa conditione factum fuisset, ita porro adigentibus ad id nos Adversariis nostris expendendum erit, *quod actu obtingit* tum circa *Gentiles* istos, tum circa *Judæos;* occurrit ex parte horum *actualis impœnitentia*, quam, visis licet virtutibus Messianis, præfractè continuarunt; ex parte verò illorum *defectus prædicationis Evangelicæ, & miraculorum* Christi, quibus destituti fuerunt. De utroque, præmissâ Antagonistarum sententiâ, adjuti Spiritus S. gratiâ, paucis agemus.

THESIS I.

PRodeat ex adverso nobis grege non miles gregarius, sed à quo jure optimo denominantur, (ad minimum autem tantum juris aliis cætibus concedent, quantum sibi sumunt in insigniendis

certo titulo suis Adversariis) *Joh. Calvinus*, hic dum in Inst. Christ. Relig. l. 3. c. 24. §. 15. respondet ad locum Ezech. 33. v. 11. *nolo mortem &c.* productum contra horribile reprobationis absolutæ decretum, ita scribit; *Profertur Ezechielis locus, quod DEUS nolit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat. Si hoc ad totum genus humanum extendere placet, cur plurimos ad resipiscentiam non solicitat, quorum animi ad obedientiam magis sunt flexibiles quam eorum, qui ad quotidianas ejusmodi invitationes magis ac magis indurescunt, Apud Ninivitas & Sodomitas* (jungendi his sunt Tyrii, & Sidonii) *teste Christo, Evangelii prædicatio, & miracula plus fructus attulissent quam in Judæa. Qui fit ergo, si vult DEUS omnes salvos fieri, ut miseris, qui ad gratiam recipiendam paratiores essent, januam pœnitentiæ non aperiat? Hinc videmus, violenter torqueri locum, si DEI voluntas, cujus meminit Propheta, opponitur æterno ejus consilio, quo electos discrevit à reprobis. D. Molinæus* in Anat. Arminianismi c. 31. §. 10. Ut obtineat, DEUM non omnes homines æqualiter amare, nec omnium salutem ex æquo cupere, provocat ad nostrum textum; *Quid Tyrios & Sidonios dicam? quorum si salutem æque Christus optavit, ac Judæorum, mirum, cur noluerit Evangelium ipsis innotescere, maximè cum ipse eis perhibeat hoc testimonium, eos proniores esse super multis ad pœnitentiam.* c 49. §. 12. *At mihi quidem videntur Arminiani DEUM incusare invidiæ subdolæ, & malevolentiæ, quippe qui sciret, Tyrios ita esse affectos, ut si ad eos miracula pervenissent, seriò resipuissent, eis tamen hoc beneficium inviderit, quod tamen largitus est populis, quos sciebat nec miraculis vel prædicatione esse convertendos.* Disputant inter se *M. Amyraldus*, & *F. Spanhemius* circa locum *Matth. XI. v. 25.* an occultatio mysteriorum extrinseca, vel intrinseca sit intelligenda, de posteriori interpretatur *Amyraldus*, de utraque *Spanhemius*, idque probat partim exemplo Tyriorum, & Sidoniorum, partim Chorazinorum, & Bethsaidensium; *circa illos occurrere occultationem externam verbi prædicati, & miraculis confirmati; ex parte horum vero deprehendi occultationem internam, qui licet viderint miracula Christi, converti tamen non sint;* ex occultatione ista sive externa, sive interna, sive utraque concludit deinceps

ceps *Spanhemius* pro nullitate gratiæ universalis, & pag. 1213. hæc addit; *Quamvis enim causa proxima rejectionis illius revelationis externæ* (quam habuerunt Chorazitæ, & Bethsaiditæ) *hæreat in malitia istorum hominum, quod exprobratione sua indicat Dominus, altius tamen simul nos ascendere docet ad dispensationem DEI liberrimam occultantis, vel revelantis sive externè, & internè simul, sive internè saltem pro arbitrio mysterium Evangelii de gratuita redemptione per sanguinem suum, cujus causam aliam non dari ostendit præter εὐδοκίαν DEI, quæ causa causarum est, & in quâ unâ nobis acquiescendum est.* Provocarunt quoque ad nostrum textum *Synodales Dordrechti* circa primum Doctrinæ caput de div. prædest. ita enim sonat in reject. err. art. 9. *Synodus rejicit errores eorum, qui docent causam, cur DEUS ad hanc potius quam ad aliam gentem Evangelium mittat, non esse merum & solum DEI beneplacitum, sed quod hæc mens melior, & dignior sit ea cui Evangelium non communicatur, reclamat Christus, Væ tibi Chorazin &c.* Matth. 11. 21. Approbant hoc *Theologi Palatini*, in judicio suo super 4. propos. Arminianorum, quæ sic habet, quod DEUS nonnullos præteriit gratia prædicationis Evangelii, ejus causa est indignitas in ipsis hominibus latens; de hac propos. ita judicant illi; *Hanc esse præteritionis illius causam, Scripturâ magistrâ non didicimus, nam Christus* Matth. 11. *Vocatos verbo Evangelii & miraculis indigniores, neglectos digniores disertè testatur; alia igitur præteritionis hujus causa nobis quærenda est, quam Christus* Matth. 11. v. 26. *in DEI beneplacito proponit. Deputati Synodi Geldricæ* ad artic. 4. de operat. gratiæ div. p. 263. ex testimonio Matthæano juncto alis duo inferunt 1. *DEUM non misisse verbum salutis omni tempore ad omnes, falsum igitur esse, omnes homines vocatione aliqua vocari ad salutem, qui enim absque verbo salutis ad salutem vocentur?* 2. *Quotquot vocantur non merito id suo, sive quod aliis aptiores, & magis idonei, qui ulteriore gratiâ donentur, sed puro puto DEI beneplacito gratioso consequi, ut vocentur.*

II.

Patet ex adductis testimoniis, quid sentiant *Reformati* de causa tum impœnitentiæ Chorazitarum & Bethsaidensium, tum

denegationis mediorum salutis quoad Tyrios, & Sidonios, scilicet omnia hæc *dependere ex absoluto quodam decreto*, quo DEUS pro libertate sua non omnium salutem intendat, & velit, sed multos simpliciter præterierit, eisque partim gratiam externam, & objectivam, partim internam, & subjectivam denegarit. Provocant quoque hic ad consensum *B. Augustini*, non solùm ii, qui tota confessione à nobis dissident, sed & alii nonnulli Augustanæ alias Confessioni addicti, qui *Syncretismum* cum Reformatis indesinenter urgent, & dogma absoluti decreti in Augustino olim toleratum fuisse asserunt, citat enim *D. Christ. Drejerus* in dialysi quæst. controv. pag. 353. Episcopi prælaudati verba ex l. 2. de persev. bono cap. 14. *Tyrii relicti sunt, & Sidonii, etiamsi credere potuerunt, si nim. illi Christi signa vidissent; sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen si DEI altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.*

III.

Succedat jam *sententia orthodoxa*, quam assertionibus nonnullis repræsentare placet; *Prima* hæc est. *Tyrii, & Sidonii non fuerunt destituti omni medio ad veritatis, & cultus divini in Ecclesiâ exerciti inquisitionem, & per consequens ad salutem deducente. Duplex autem medium* observare licet, cujus beneficio si non proximè & immediatè, *mediatè* tamen, & *remotiori gradu* ad veritatis agnitionem indeque fluentem beatitudinem pervenire potuissent populi isti, prius est *lumen naturæ*, alterum *fama de Ecclesia Judaica*. Istud quod concernit, negari non potest, *cognitione DEI naturali* fuisse collustratos Tyrios, & Sidonios, habuisse eos non solum connatam notitiam, & sensum à naturâ inditum de existentia Numinis, beneficio legis φύσει inscriptæ cordibus eorum, sed & potuisse illos etiam levi rationis ope adhibita ex speculo creaturarum perspicere invisibilia DEI, id enim quod de *Gentilibus*

qui-

quibuscunque docet Paulus Actor. 17. Roman. 1. & 2. capp. tutò applicari potest ad gentes præfatas, apud quas se non ἀμάρτυρον reliquit DEUS; ager quidem eorum sterilis erat, ut pacem coacti sint petere ab Herode, *quia alimenta ex ejus regione advehebantur illis*, ita ut non poterant habere frumenta, nisi ea Rex è suo territorio ad illos inferri concederet, Actor. 12. 20. *Tyrus* tamen fuit *Urbs ut antiquissima*, testeque *Josepho* in Antiq. Jud. l. 8. c. 2. 240. annis ante extructum templum Hierosolymitanum à *Sidoniis* condita, ita *& opulentissima, potentissima, altrix peritissimorum artificum*, de cujus divitiis, mercatura, statuque florentissimo multa annotarunt Prophetæ; *Sidon* itidem erat *Urbs Regia*, quæ ditabatur ex opulentia Tyri, civitatis Vicinæ. Beneficia hæc temporalia quid erant aliud, quam *testimonia Numinis beneficentissimi*, quod vel palpando potuissent attingere? Quid aliud intimebant, quam dilaudandam esse beneficentiam hanc cœlestem, colendamque & adorandam ad præscriptum non humani ingenii, circa cultum DEO deferendum nullibi certum pedem figentis, sed ad nutum ipsius Creatoris, Conservatorisque; erant quidem Urbes istæ, ob felicitatem externam *superbissimæ*, *nimisque jactabundæ*, cujus cives purpura induebantur, divinamque sapientiam sibi imaginabantur. Ezech. 27. erant insimul *superstitiosissimæ*, & idololatriæ deditæ, quæ omnia extremum *abusum bonorum* divinitus concessorum arguunt quidem, sed unà evincunt, *DEO debuisse transcripsisse talia* tantaque beneficia gentes istas, & inquisivisse in verum modum colendi suum Benefactorem, cum vanitatem cultus & Deorum quos coluerunt, ex ipso naturæ lumine cognoscere potuerint.

IV.

Non autem eo detorqueri debent, quæ à nobis dicta sunt, quasi in *Remonstrantium* castra vellemus transire, *qui rationem pro normâ Religionis, & cultus veri, DEOque placentis venditant, quasi homo sibi relictus scire, & intelligere possit, ei qui ipsum ratione donavit, omnia ista, quæ rationi rectæ consentanea sunt, non posse non grata, atque accepta esse, ac proinde cum ea fecit, se in eo fiduciam reponere posse, quod ei gratus, atque acceptus sit*, ut loquitur *S.*

Episcopius l. I. Instit. Theol. c. 7. p. m. 16. 17. vel acsi statueremus, voluntatem omnes, & singulos per Christum redimendi in DEO universalem patefactam esse si minus distincte omnibus, *saltem confuse, & ea revelatione, quæ esset ad ampliorem præludium*, ut loquitur *M. Amyraldus* apud *Spanhemium* Exercit. 27. Ultro enim fatemur, Lumen Cognitionis DEI naturalis esse *nimis obscuratum* in homine, & *omnino insufficiens ad salutem*, agnoscimus neminem fiduciam posse reponere in DEO, quod ei gratus & acceptus sit, nisi credentem in Christum, de qua tamen fide, ejusque objecto, neque confusa, neque distincta cognitio haberi potest ex Theologia naturali, quod contra *Curcellæum* in 6. Exerc. de obligat. cred. in Christum ostendimus. Et quamvis Reformati non infeliciter talia urgeant contra *Arminianos*, quod nupere fecit in *Antapologia Jac. Triglandius*: falsò tamen ejusmodi quid impingere conantur Evangelicis, utpote qui lumen naturæ non nisi *pro pædagogico medio* agnoscunt, vocationemque prorsus *indirectam, inadæquatam, & remotam* dicunt, qua vocentur Gentiles lumine verbi destituti, quo præsuppositio stante, neque salutis acquisitio immediatè ut effectus formalis adscribitur lumini naturæ, neque dejicitur è statu medii unici, immediati, proximèque influentis in salutem lumen gratiæ supernaturaliter revelatum, & concessum. Nec eo tendit sententia nostra, quasi *pædagogicus iste vocationis modus* haberet se vel *instar meriti* DEUM inducentis ad conferendam gratiam, vel *instar medii quoquo modo provocantis*, prout quidam *Semipelagianizantes* transferre hûc volunt dicterium Christi, *habenti dabitur*, cum omnia *indebito favori*, quem Christus conciliavit merito suo infinito, sint adscribenda, quæ homini obtingunt in foro gratiæ. Hoc saltem volumus, temere repudiari à nostris Adversariis argumentum, quo pugnamus contra absolutum decretum, & intentionem divinam nonnisi quosdam vocandi ad salutem, quamvis enim negare non possimus, ut Gentiles actu convertantur, opus esse *vocatione gratiosa* per verbum, ipsaque experientia attestetur, prædicationem verbi actualem pro omni tempore apud omnes populos locum non habuisse, negamus tamen confici inde posse, *intentionem particularem* quosdam saltem vocandi, cum

DEUS

Deus universalem intentionem homines vocandi *suo modo* declarit per vocationem illam *pædagogicam*, quod ipsum fateri cogitur *Spanhemius* in Exercit. sua de Grat. univers. quam postea adortus est *M. Amyraldus*, thes. 17. ubi ita habet; *DEUS non est passus se expertem testimonii, ducentis nimirum ad DEUM creatorem, non ad DEUM redemptorem & repræsentantis* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *non σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, adeoque sufficientis ad convictionem, non ad conversionem*, quæri enim potest, quid sit illa *ductio ad DEUM creatorem*, illa *Convictio*, cui producendæ sufficiens erat testimonium Dei ex speculo creaturarum relucens? annon dicat *connexionem cum studio possibili inquirendi*, num alicubi prostet, & exerceatur cultus non placito hominum confictus, sed ab ipso Numine præscriptus. Et si de *lege* quæ omnes peccati convincit, damnationisq; reos pronunciat, non male dicitur quoad sit *pædagogus ad Christum*, de quo tamen omnino nihil scit, quatenus sc. homini damnando occasionem, & ansam dat dispiciendi, an non aliquod sit medium, cujus interventione possit liberari à peccato, & damnatione; Cur non *de lege naturali* inscripta cordibus hominum possit dici, quod manu quasi ducat hominem ad inquirendum in cætum illum, in quo cultus divinitus constitutus exercetur, utut ei formaliter de Oeconomia salutis nihil constet?

V.

Alterum medium quod concernit, *famam* sc. de *Ecclesiâ Judaicâ*, constat ex sacra historia, & aliis scriptoribus, quod Urbes hæ maritimæ *Galileæ* Septentrionem versus fuerint *Vicinæ*, ac *monti Libano propinquæ*, ad cujus ligna pro structura templi Salomonæi cædenda adhibiti fuere incolæ, imo Urbs *Sidon* accensebatur *terræ sanctæ*, spectabatque ad *tribum Aser*, quamvis ex ea habitatores non fuerint expulsi ab Asaritis. Jos. 13. 4. 6. Judic. 1. 31. Ut autem situ Judæis fuere quasi conterminæ, ita *non poterant non cognitionem habuisse miraculosæ tum eductionis populi Judaici ex Ægypto, tum introductionis in palæstinam*, maxime vero *cultus sacri*, cujus non potuere esse nesci, si attendamus *fœdera*, cum Israelitis inita imperantibus illic *Hiramo, hic Davide & Salomone*, quod fœdus appellatur *fraternum*. Amos. 1. 9. quamvis postea inimici facti sint

populi

populi DEI; Vi fœderis illius intentum, quod agitabat Salomo de extruenda domo Domini, non ſolum detegit Hiramo, ſed & *artifices* ad ligna cædenda ab eo petiit, & obtinuit. Nec ſolum *commercia mutua* aluiſſe inter ſe populos iſtos, ſed & cohabitationem inſtituiſſe conſtat exemplo Patris *Hirami*, qui quamvis gente erat Judæus, habitatione tamen & exercitio artis Tyrius dicitur. 1. Reg. 7. 14. ita finita captivitate Babylonica *non procul ab Hieroſolymis habitaſſe* leguntur quidam *Tyrii*, qui res venales advehebant, Judæisque vendebant. Nehem. 13. 16.

V I.

Fama illa de templo Hieroſolymitano, inibique *exercito cultu divino*, quid aliud erat, quam *publicum & illuſtre tubicinium*, quo ad verum Iſraelis DEUM agnoſcendum evocati fuere omnes fere populi, ut ſi non pro verbali, *reali tamen eaque analogica prædicatione* ſit habenda, quod docent Salomonis *preces*, 1. Reg. 8. verſ. 41. 42. 43. Recenſet eas Joſephus l. 8. cap. 2. A. I. *Nec ſolis Hebræis errantibus hanc opem à te precor, ſed etiam ſi ab extremis orbis finibus aliqui venerint, aut undecunque profecti in hoc loco boni quippiam impetrare à te voluerint, exoratus illis largire. Sic enim omnibus erit evidens, quod tu & hanc ædem apud nos tibi extrui voluiſti, & nos nec inhumani ſumus, nec alienigenis iniqui, ſed libenter ferimus te communiter omnibus tum opitulatorem eſſe, tum bonarum rerum omnium largitorem.* Per famam illam ex ultimis terræ finibus evocatam fuiſſe *Reginam Auſtri*, quam *Joſephus* l. c. vocat *Reginam Ægypti, Æthiopiæque* præter annales ſacros teſtatur Chriſtus Matth. 12. Famæ iſti præludium ſuæ converſionis debet totus *proſelytorum* ferme *ordo*, qui ſacris Judæorum initiati fuere. Præconium hoc non neglexit *mulier Chananæa*, cujus filia torquebatur à diabolo, audiens illa de Chriſto ex Phænicia, cujus metropolis fuit *Tyrus*, venit, eum inclamavit, & miraculoſam filiæ liberationem tandem obtinuit. Matth. 15. Potuiſſent conſimili modo Synophæniſſæ hujus majores ſeculis prioribus beneficio *famæ indies continuantis & delatæ ad aures* non ſolùm inquirere in veritatem cultus divini, ſed & eidem ſe jungere; imò quam facile erat *Regibus Juda, & Iſrael, Salomoni* puta, &

ta, & *Achabo affinitatem* interveniente matrimonio contrahentibus cum *Regibus Sidoniorum, sacra Sidonia* invehere in regna sua aras ejusmodi idolis erigere, eaque colere, tam facile potuissent Tyrii, Sidoniique locum dare sacris Judæorum, nisi oculos habuissent fascino idololatriæ adultæ constrictos.

VII.

Assertio secunda; Tyriis & Sidoniis prædicatio verbi, & miracula Christi non fuere denegata ex absoluto sive reprobationis, sive præteritionis decreto, sed partim ex justo judicio contemtum verbi vindicante; partim ex inculpabili libertate ubertatem gratiæ pro lubitu administrante. Circa medium productivum pœnitentiæ Tyriorum & Sidoniorum possumus considerare prædicationem verbi legalis, & Evangelici vel *in se & absolutè; vel cum complicatione ipsius docentis, & miraculorum Messianorum*, quæ duo oppido à se invicem discernenda sunt, cum pari necessitatis passu in producendo illo effectu non ambulent, neque necessarium sit, *ipsum Messiam in carne præsentem* semper munere prophetico fungi, doctrinamque novis subinde corroborare *signis*, si quidem pœnitentia sit hominibus ingeneranda, de quo deinceps. Quod concernit prædicationem verbi, quæ, licet *non sine aliquo docente*, sine tamen Messia in terris obambulante, peragi potest, destituti quidem ea fuere Tyrii, & Sidonii, *verbum enim suum annunciavit DEUS Jacobo, justitias & judicia sua Israeli, taliter autem non fecit omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Psalm. 147. v. 19. 20. deficientibus enim à Patriarchali religione, omnibus ferè populis *placuit DEO* pro immensâ suâ gratiâ *Abrahamum* inter idololatras viventem, & secundum *M. Maimonid.* idola colentem evocare, eique cœlestem doctrinam redintegrare, promittens se fore ei, posterisque suis in DEUM. Quamvis autem vocatio Abrahami, selectioque seminis ejus fuerit præclustre, & ingens DEI beneficium, quo familiari suo alloquio eos dignatus est, nec culpari possit ac debeat *divina libertas* assumendi in peculium non nisi hos, reliquis in cæcitate non nativâ, sed proæreticè suo vitio contractâ relictis, non tamen præteritio cæterorum *simplici, & nudo DEI beneplacito absolutè eosdem reprobanti* est adscribenda, adoranda potius *Nemesis divina*, quæ in progenie ipsius Noachi

à cœlesti doctrinâ, veroque DEI cultu deflectente vindicare voluit contemtum per ablationem verbi, ad quod posteris eorum restituendum nullo obstrictus est jure.

VIII.

Et quidem quod concernit *Tyrios & Sidonios*, fuére hi *oriundi ex Chamo*, altero *Noachi filio*, per Chanaan, eratque *Sidonius* pronepos Noachi; de hoc testatur *Fl. Josephus* l. 1. Antiq. Jud. c. 7. quod *Urbem sibi cognominem condiderit in phœnice, Sidonem à Græcis vocatam;* quamvis autem *Justinus* hist. l. 8. Urbem illam sic appellatam velit à *piscium ubertate*, quia phœnices *piscem Sidon* vocent, prior tamen denominatio majorem videtur mereri applausum, quia Gen. 10. v. 18. recensitis filiis Chanani, additur; *per hos disseminati sunt populi Chananæorum, ita ut Sidon fuerit terminus Chananæa;* à Sidoniis ortum traxisse *Tyrios*, caret dubio, Tyrum enim condidisse feruntur Sidonii, attestante id Justino l. c. unde appellatur *filia Sidon*. Esa. 23. 12. Vocati itaque fuere populi hi *in suis majoribus*, qui ut debuerant, ita & potuerant supernaturale verbi revelati, cultusque veri depositum transferre ad seros usque nepotes, quod facturum deinceps Abrahamum, prævidit DEUS Gen 18. sed quia susque deque habito nobili isto Κεφαλίῳ ad cultus electitios, idololatricosque delapsi sunt, sordereque eis cœpit simplex Numinis cultus, invitis, ingratisque noluit porro DEUS obtrudere beneficia, sed rivulos longe lateque manentes occlusit, sivitque eos ingredi in propriis viis, utpote patrios DEOS sibi constituentes, qui *Dii Sidonii* vocati sunt, quos coluisse leguntur subinde *Israelitæ* jam tempore Judicum. Judic. 10. v. 6. de quibus in Exerc. 5. Non ergo ex absoluto rejectionis decreto denegata sunt populis præfatis proximiora salutis media, sed justo judicio, quæ spreverunt, quæ repulerunt, quæ admittere porro noluerunt tandem adempta fuerunt. Et quamvis posteris longo ordine succedentibus culpa Majorum imputari nō possit, non tamen ex parte illorum *absolutum quoddam decretum* præsumi debet, cum DEUS non teneatur, quod semel amissum est, restituere, *nascendiq; series non debuerit inhiberi*, qua orti sunt posteri illi à parentibus pessimis dona divinitus concessa repellentibus,

bus, prout dici non debet, DEUM fuisse obligatum ad *imaginem suam* in posteris Adami *restaurandam*, cum ordo nascendi eos detruserit in statum illum Carentiæ doni concreati.

IX.

Vocationem hanc benignam Tyriorum, & Sidoniorum in Majoribus infringere allaborat Fr. *Spanhemius* in Exerc. de G. Univ. sect. 8. in qua agitur de patefactione primæ promissionis in *familia Noachi; summa Exercitationis* consistit in hoc; *I. Fœdus initum cum Noacho esse intelligendum non de fœderæ gratiæ spiritualis, sed de beneficio temporali, de non immittendo diluvium super terram, in quo fœdere comprehensa quoque sint bruta; ex generalitate autem hujus pacti non inferri universalitatem gratiæ aut sequi, esse eam extendendam quoque ad bruta. 2. respiciendo ad fœdus gratiæ patere ejus particularitatem, quia Chamus fuerit maledictus, idque ab æterno, eum quidem suo vitio periisse, sed promissionem ei non fuisse destinatam, dici non posse DEUM prævidisse istã Chami pravitatem, & in ea contumaciam, & sic demum maledictionem ei destinasse, quia hoc ipsum denuò in quæstione sit, qui eam præviderit DEUS ante decretum Chamum educendi ex semine peccato infecto, nec ei eandem cum Noacho, & fratribus gratiam faciendi, sed cum relinquendi in sua corruptione.* Eadem occurrunt in *vindiciis Exercit.* parte 1. cap. 3. *Quæ causa discriminis, quod Cham se Sathanæ mancipavit, fratres ejus non item? Annon quia Cham à DEO relictus in sua corruptione, reliqui virtute promissionis divinæ instaurati, & roborati?* paulò post; *fœdus gratiæ cum Noacho continuatum, nec Chamum attingebat, nec Chanaanem, vel posteros ejus, quippe quibus maledictio opposita benedictioni fratrum destinata.* Stantibus hisce, Tyrii, & Sidonii utpote referendi inter posteros Chami absoluto decreto dicendi sunt reprobati, & excluſi à promissione prima.

X.

At missis quæ contra *M. Amyraldum* universalitatem gratiæ objectivæ saltem, non subjectivæ quoq; propugnantem, non male disserit Spanhemius, cum nos non feriant, notamus nos in ejus discursu. I. *superficiariam argumenti orthodoxi considerationem.*

Noſtri Theologi dum pugnant pro univerſali ad gratiam vocatione, ejusque actuali exercitio, provocant quoq; ad familiam Noachi, in quâ ſpes mundi finito cataclyſmo erat ſita, omnes enim in univerſum populi ex *ſemine Noachi* erant oriundi, in hac itaque familia, quia procul dubio locum habuit vera DEI cognitio, cultusque ſincerus, dicunt totum mundum fuiſſe vocatum, ita ut omnes in lumbis filiorum Noachi exiſtentes, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis fuerint vocati, quamvis enim non omnes, & ſinguli poſteri Noachi *in individuis ſuis* extiterint tum temporis, colluſtrati tamen lumine divinæ revelationis erant omnes *qui extiterant*, ut ita *divina intentione* continuare potuerit, & communicari lumen iſtud omnibus retro ſeculis prodituris. Non E. præcisè ducitur orthodoxorum argumentum à pacto illo beneficium terrenum includente de non iterando diluvio, de continuatione ordinis naturæ non interrumpendi amplius, ſed *ex ſtatu Eccleſiæ & familiæ Noachicæ*, nec opus eſt inquirere *in ejusmodi fœdus gratiæ, de quo* ne apicem vel in hiſtoria Noachica, vel apud Paulum ad Hebræos inveniri conqueritur *Spanhemius*, obtinuiſſe ſiquidem cultum divinum externum, & verbi revelati propoſitionem in familia Noachica nemo tam amens erit, qui id ſit inficiaturus. Ex quo conſequens eſt, *Chamum* quoque Tyriorum, & Sidoniorum, aliorumque populorum Parentem, utut impium, *non fuiſſe deſtitutum medio ſalvifico*, potuiſſeque eundem beneficium hoc communicare poſteris ſuis; imò hoc fine, hacque mente à DEO fuiſſe ei conceſſum, ut ad poſteros derivaret. perit E. ſcomma ſubnexum, ſi ex latitudine pacti de *beneficio temporali* concludenda ſit univerſalitas gratiæ Evangelicæ, pertinere eam quoque *ad bruta, propriè* e. loquendo DEUS nullum cum brutis iniit pactum, *ſed cum hominibus*, quibus promiſit, ſe mundum amplius diluvio non perditurum, quo ſenſu obtinente non videre licet, quid contra mutire poſſent *Calviniani*, quibus enim DEUS promiſit, ſe orbem nunquam univerſali cataclyſmo eſſe deleturum, iis quoque obtulit gratiam Evangelicam, eosque adhuc intendit vocare ad gratiam excluſo in totum abſoluto reprobandi decreto, *ſi enim in favorem totius generis humani ſuſpendit DEUS univer-*

niversalem cataclysmum, cur non exin concludamus, eum nolle absoluto quodam decreto ullius hominis æternum interitum.

XI.

II. *Sinistram promissionum divinarum repræsentationem;* putat *Spanhemius,* quod verbis etiam expressis fatetur in Vind. Exerc. p. 33. non nisi ad illos pertinere promissionem, *qui complementum ejus senserint,* & donum DEI in se, ad reliquos non item. At queri hic posset, ad quem pertinuerit *promissio illa facta Jeroboamo* de continuando in ejus familia regno Israelitico, idque in æternum. 1. Reg. 13. v. 37. 38 39. Si pertinuit ad Jeroboamum, ubi est complementum? *si non pertinuit ad illum, ad quem* igitur pertinuit? manu itaque deprehendere potest *Spanhemius,* posse etiam promissionem pertinere ad aliquem, qui tamen interveniente sua culpa fructus ejus non fuit particeps actu. Quamvis E. promissio gratiæ spectet ad omnes, & singulos, non tamen necesse est, ut complementum ejus, & fructus in totâ suâ latitudine locum habeat in singulis, utut enim promissio in se *ratione fructus intenti* sit universalis, omnibusque sub λάξει certorum mediorum, quæ observanda sunt, offeratur, complementum nihilominus quoad fructum actu obtentum fuit particulare ob neglectum, repudiatumque medium. Nec obstat *natura conditionis præstandæ,* quæ dependere itidem dicitur ex mera gratia, quamvis enim Jeroboamus sine speciali DEI gratia non potuit incedere in viis Domini, sub conditione tamen hac ei regni continuatio fuit promissa, quia obicem ponere potuit, imo actu posuit gratiæ intendenti continuam ambulationem in præceptis Domini; Ita conditio quoad illos, qui actu sentire volunt commodum promissionum divinarum, præstabilis quidem est non nisi virtute & ope divina, at quia hæc virtus *non irresistibiliter* operatur, potest ejus operatio sisti, & interverti per malitiam hominis spontaneam. Concedimus E. Semum fuisse roboratum virtute divina, sed negamus eum non potuisse excutere corroborationem illam, & quamvis Sathanæ se mancipavit Chamus, negatur nihilominus, eum virtute, & gratiâ divinâ ita fuisse destitutum, ut non etiam præservari, vel liberari à compedibus Sathanæ potuerit.

XII.

III. *Temerariam maledictionis delineationem;* dicit Adversarius, fœdus gratiæ non spectasse ad Chamum, & ejus posteros, quia fuerint maledicti; at distinguat inter gratiam & *bona fœderis intentione divina oblata; & actu obtenta, vel non obtenta;* qui maledictus est, ad eum non spectet fœdus gratiæ, qua dicit actualem possessionem bonorum in fœdere illo comprehensorum, negatur tamen, non pertinere fœdus istud ad eum qui maledictus est, quasi *ex defectu gratiæ* non etiam in suum commodum destinatæ non posset particeps fieri illorum bonorum. Dicit; *Chamum esse maledictum ab æterno;* at ab æterno potuit DEUS prævidere contumaciam Chami continuantem, sicut elegit ab æterno credentes, quorum fidem fuit intuitus, nec enim vel benedictio, vel maledictio facta ab æterno statim est absoluta, cum maledictionis ab æterno factæ objectum sit homo perseveranter incredulus, & impius. *Dicit; Chamum suo vitio periisse, & tamen promissionem ei non fuisse destinatam;* absoluto quidem decreto, & fato ineluctabili ei promissionem non fuisse destinatam concedendum est, sed nullo modo ei fuisse destinatam, negamus, suo enim vitio aliter periisse præsumi non potest, quam quatenus fuit contemptor promissionis, quomodo autem ob spretam promissionem maledici, & perire potuit, si promissio ei non fuit oblata? quomodo potest civis Leydensis perire ob contemptum thesaurũ Cæsaris Turcici, qui tamen ei nunquam fuit destinatus? quomodo potest Titius repudiare bona, quæ per testamentum ei nunquam fuerunt destinata. *Dicit; DEUM non potuisse prævidisse contumaciam Chami ante decretum eum educendi, nec ei eandem cum Noacho, & fratribus gratiam faciendi, sed eum relinquendi in corruptione.* At negamus nos ejusmodi decretum antecedaneum in DEO relinquendi absolutè Chamum in corruptione, statuimusq; commune decretum educendi è corruptione omnes per certa, & ordinaria media, quæ tamen malitiâ hominis possunt contemni, quod quidem factum est à Chamo, præservatis interim fratribus ejus gratiæ operanti nullam obicem ponentibus. *Dicit; Chamum Satanæ se mancipasse, quia à DEO fuerit relictus;* si absolute hoc sumendum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0082
DFG

dum est, excusatus erit Chamus in judicio divino, qui omni medio emergendi destitutus, ex defectu gratiæ, non suo vitio periit. Si vero eadem gratia, eademque gratiæ media ei fuerunt oblata, qualia habuere fratres, omnis culpa in ejus caput redundat, quia media illa contempsit, iisdemque benè uti noluit, quod si non viribus propriis, divinitus tamen concessis potuisset.

XIII.

Prædicationem *Vivâ Messiæ Voce* peractam, ejusque *Virtutibus stipatam* quod attinet, *Reformatos* adscribere ejus denegationem *absoluto* reprobationis decreto *vix auderemus asserere*, nisi eo traherent textus de ministerio ab ipso Messia in diebus carnis obeundo agentes, e. g. Matth. 15. *non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel &c.* adeò enim absurdum est hoc assertum, ut ipsa mole sua corruat, si enim absolutè reprobati sunt, quotquot destituuntur ministerio Messiæ personali, neque oculis suis usurpare possunt ejus miracula, periit dudum electorum ordo, restringendus non nisi ad brevissimum temporis spatium. Extra controversiam autem positum est, DEUM *pro liberrimâ suâ voluntate* decretum ab æterno factum de mittendo in mundum filio suo ad certum tempus, quo executioni daretur, determinasse, circa quam dispositionem *nullum absoluti reprobationis decreti influxum* deprehendere licet, sive enim *citius, sive serius* venisset Christus, sive *diutius, sive breviori tempore versatus* fuisset in his terris, decreto tamen reprobationis absoluto prorsus nihil accederet, *verbum enim prædicatum in se, & non præcisè, & formaliter qua prædicatum ipsius Messiæ ore, & voce, est medium*, à cujus auditu, vel neglectu dependet vel salus, vel damnatio. Eadem est ratio *miraculorum*, dependent ea *ex liberrimâ DEI ordinatione*, qui ordini naturæ cõstituto in creatione rerum minimè alligatus supra cursum illum miranda potest patrare opera, & quamvis nunquam frustra fiant, non debet tamen eorum defectus adscribi *absoluto* præteritionis *decreto*; pugnant quidem *papæi* pro necessitate miraculorum, sed quid de hac quæstione sentiant *Orthodoxi* non solum, sed & *Calviniani*, in eorum scriptis legi potest, unà enim nobiscum agnoscunt *distinctionem inter necessitatem absolutam, & hypotheticam: Sufficientiæ, & ex-*

& expedientiæ; internam, & externam; Quamvis enim constet, ad confirmandam doctrinam Messianam fuisse ea necessaria, ut & ad convertendos commodius infideles, constat tamen subesse eadem *dispositioni liberrimæ causæ efficientis,* quæ quoad miracula Messiana fuit inculcata oraculis propheticis, ut ita sive ad conversionem, sive ad confirmationem doctrinæ, sive ad legitimationem officii *absolutè* necessaria non sint; Non tamen negaverimus cum magni nominis Theologo *Dn. D. Nicolai,* immediatam vocationem necessariam habere cum miraculis connexionem, dum est conjuncta *cum authoritate immutandi publicum ministerium,* quod factum *à Mose, & Christo,* ille enim ministerium pertinens ad primogenitos transtulit ad tribum Levi, hic verò à tribu Levi ad Apostolos, aliosque sine discrimine, modo apti sint.

XIV.

Ruunt nunc consequentiæ, quas formant, & fingunt sibi *Reformati* ex nostro textu pro particularitate gratiæ vocantis, & absoluto suo, eoque horribili reprobationis decreto; solvitur quæstio mota à *Calvino,* si dicamus cum Scripturâ, *sollicitasse utique DEUM Ninivitas, Sodomæos, Tyrios, & Sidonios,* utut eos siverit ingredi in viis suis, eisque *sub tanto apparatu* non venerit obviam, prout factum est sub temporibus N. T. expeditur dubium, si attendant, qui sequuntur Calvinum, *non teneri DEUM homini ea media offerre, quibus admotis eum infallibiliter conversum iri præscit, sufficere ad intentionem omnes salvandi,* ea administrari *media,* quorum usu ad conversionem homo deduci potest, sive proximè, sive remotè. Evanescit *Molinæi* illatio, si distinguat inter *amorem benevolentiæ, & complacentiæ,* attendatque, ab æquali amore fluere media inæqualia, non enim ideo major fuit amor, quo Christus complexus est olim Judæos, inter quos miracula fecit, quâ est, quo nos hodie destitutos miraculis complectitur. Notandum est, inquit *J. A. Corvinus* ad hoc argum, *ita amorem in DEO esse ponendum, ut exercitium illius, subjiciatur infinitæ sapientiæ divinæ, ut sc. eo modo, & mensura suum amorem declaret, prout sapientia judicat, ejus majestatem decere. Quare ita asserimus amorem DEI erga homines, ut in libertatem, & justitiam DEI non impingat, quarum*

rum utramque credimus DEUM in diversa mediorum ad salutem administratione declarare voluisse. Perit scomma de *invidiâ, & malevolentiâ*, quia Tyriis Sidoniisque, licet negata fuerint justo judicio, & liberrima voluntate DEI, non absoluto decreto media salutis, concessa fuere *talia media*, quorum usu alii conversi sunt, illique ipsi converti potuissent. Malevolentiæ interim proximior est sententia *Reformatorum* statuentium, ex absoluto odio denegare DEUM reprobis salutem, causamque rejectionis hærere in nudo ejus beneplacito, &c. Εὐδοκίαν divinam agnoscimus cum *Spanhemio*, sed negamus eam esse *absolutam*, cum circa denegationem mediorum salutis habeat respectum ad eorum contemtum. Cum *Synodalibus* explodimus *omne meritum* pro obtinendâ mediorum salutis concessione, modo non ad absolutum deflecterent decretum, quo sensu negamus, ingratitudinem, & contemptum verbi non esse causam, quod justo tandem DEI judicio plene à populo aliquo auferatur. Ita *Geldris* concedimus, vocationem per verbum esse *proximam, immediatam* & formaliter directam ad salutem, absque quâ nemo salvetur, modo nobis concedant, vocationem per lumen naturæ, & famam de Ecclesiâ remotam, mediatam, & indirectam, tendentem si non proximè ad conversionem, tamen ad ejus media proxima pœdagogicè hominem deducentem.

XV.

Quod concernit locum *Augustini*, adductum ex l. 2. de bono persev. cap. 14. provocant ad eundem non solum *Reformati*, & *Syncretistæ*, sed & *Pontificii*, in specie vero *Bellarm.* qui l. 1. de Gratia, cap. 12. pugnat *pro congruentiâ gratiæ ex suppositione divinæ prædestinationis, & circumstantiarum externarum;* At quis non videt, non venditari congruitatem illam ingenii à S. Episcopo pro gratiâ efficaci electis propriâ, neque ea mente inculcari, sed *prorsus removeri*, quod à DEO non attendatur, cum *Tyrii, & Sidonii non sint conversi*, quibus tamen munus *intelligentiæ adscripserat*, quorumque mentibus congruissent audita verba, & miracula conspecta. Cæterum c. 14. de 6. persev. expendit *August.* quæstionem, an *prædestinationis doctrina utilitati prædicationis sit adversa*,

circa cujus decisionem, ut omnem occasionem incrustandi *merita propria*, præsumptamque dispositionem præcideret, præparationem mediorum ad salutem facientium in solidum transcribit prædestinationi divinæ, à qua pendeat salus, & quicquid ad conversionem facit, ita ut absque collatione gratiæ, ejusque operatione nemo convertatur, utcunque sit dispositus externisque quibusdam mediis instructus. Constat præterea, loqui Augustinum non nisi *de virtutibus Christi*, quibus visis conversi fuissent Tyrii, & Sidonii, quæ signa eis arcana quadam DEI voluntate liberrimè mensuram gratiæ uberiorem non omnibus, & quovis momento administrante sint denegata; & licet novæ ejusmodi signa, quibus infallibiliter conversos prævidit, ipsis negasse statuat, utpote loquens de præparatione beneficiorum, quibus certissimè liberantur, qui liberantur, non tamen consequens est, *omnem sustulisse modum* Augustinum, quo vocatos fuisse populos istos, nos asserimus, etiam illum qui fit per lumen naturæ & famam de Ecclesia. Præsuppositis hisce evidens est, *altius illud judicium*, quo interveniente à perditionis massa non fuerunt discreti Tyrii & Sidonii, eisque non fuere adhibita divina dicta, & facta, quibus adhibitis conversi fuissent, referendum esse non *nisi ad præsumptam naturalem ingeniositatem explodendam, & inculpabilem summamque libertatem*, qua non tenetur DEUS necessariò ad oblationem eorum mediorum, quibus positis infallibiliter salus obtinetur. Sin verba ista ad sanguinem usque premere velint Syncretistæ, opponimus illis propria judicia, quibus tum ante, tum post certamina Pelagiana *diversimodè Augustinum* de puncto gratiæ, vocationis, & prædestinationis divinæ locutum fuisse, seque ipsum *valde confudisse* fatentur, quæ hypothesis sufficit ad retundendum Syncretistarum postulatum de tolerandâ Reformatorum sententiâ, quia consimiles phrases, & modi loquendi olim tolerati fuerint in Augustino, legatur *Dialys. D. D.* p. 356. Quid nostrates sentiant de ejusmodi phrasibus Augustinianis videre licet, in *Syncret. Calixt. D. Calovii* p. 249.

XVI.

Assertio tertia; Causa, quod Chorazini, & Bethsaidenses, visis licet Christi miraculis, ejusque concionibus auditis, non egerunt pœniten-

nitentiam, non est quærenda in absoluta & simplici Εὐδοκίᾳ, *sive beneplacito divino, antecedenter Vires ad conversionem necessarias illis denegante, sed unicè, & formaliter in malitioso contemptu, divinoque judicio eundem debitè vindicante.* Non negamus, bene concludere *Spanhemium contra M. Amyraldum,* dum ejus hypothesin de particularitate manifestationis internæ ex absoluto decreto dependente urget contra universalitatem gratiæ divinæ, quam ex objectiva saltem, & externâ manifestatione probare voluit, *non enim nisi illusoria est gratia,* quæ *media quidem externa* ad salutem facientia indulget, interim *vires* ad media amplectenda summe necessarias ex peremptorio quodam decreto maximæ hominum parti denegat; Sed hoc ipsum taxamus *in Spanhemio, & assectis,* nec non Amyraldo ipso, quod præsuppositа licet objectiva, & externa manifestatione inter Bethsaidenses, & Chorazinos *negant, Christum non intendisse simul, & unâ interne eis manifestare mysteria regni sui,* sed manifestationem hanc eis plane denegasse, ut credere non potuerint, *ex defectu internæ illius manifestationis.* Contrarium evinci potest *ex textu, & indole manifestationis externæ admotæ* Galilæis; sit ex textu hoc argumentum; qua expositione stante gravissima Christi exprobratio vertitur in meram illusionem, illa utique cum textu minus congruit, prout versa vice illa congruit, qua stante vigorem suum obtinet Christi invectiva; At stante expositione Adversariorum de manifestatione internâ Bethsaidanis, & Chorazitis verbum quidem audientibus, miraculaque Messiana spectantibus, ex absoluto decreto denegatâ, vertitur gravissima Christi exprobratio in meram illusionem &c. Ergò. *Majorem* vix audebit negare *Spanhemius,* ipse enim summopere laborat, ut salvetur Christi exprobratio. *Minor* fit evidens ex ipsis terminis, nam *manifestatio interna,* quæ denegata dicitur Galilæis istis, *ita necessaria est ad conversionem, ut absque ea nullum habere possit locum;* deinceps ita se res habet cum manifestatione illâ internâ, ut *in nullius hominis viribus* sit, eandem acquirere, ut non nisi ex indebita, neminique obstrictâ gratiâ divinâ conferatur, cuicunque confertur. Confirmatur hinc *minor* propositio, quia facile *excipere potuissent Bethsaidani, &*

Chorazita, Domine, quare inveheris in nos tantopere, & succenſes, quod non agamus pœnitentiam, cum tamen culpa non in nobis, *ſed in te hæreat*, manifeſtas quidem externe nobis voluntatem patris per verbum, & virtutes, ſed *occultas nobis interè myſteria regni* tui, qua occultatione ſtante tam nobis impoſſibile eſt pœnitentiam agere, & in te credere, quam impoſſibile eſt, mortuum reſpirare, fac periculum, & manifeſtationi externæ adde internam, & tum ſi non pœnitentiam ſumus acturi, habebis quod nobis ſuccenſeas. *Spanhemius* quidem conatur ſalvare exprobrationem Chriſti, quod pro objecto habeat *malitiam Galilæorum*, tanquam *cauſam proximam rejectionis* revelationis externæ. At ſtare iſta minimè poſſunt; Dicuntur enim rejeciſſe verbum à Chriſto prædicatum urbes iſtæ, *& ſi inquirimus in cauſam*, unde hoc factum, mentio fit malitiæ; ulterius tamen pergendo, unde malitia iſta orta ſit, itur ad Εὐδοκίαν DEI, tanquam cauſam ſummam & ultimam, malitiam illam infringentem in his, non infringentem in aliis ex abſoluto beneplacito; quæri autem h. l. poteſt, an Galilæi iſti deſtituti gratiâ internâ, nihilominus potuerint acceptare revelationem externam, & ſe eidem accommodare, vel annon ad acceptandam gratiam externè oblatam prorſus neceſſaria fuerit virtus collata à gratia intus operante, quod aliâs ſtrenuè urgere ſolent Reformati; nolens volens itaque videtur incidere *Spanhemius* in *caſſes Amyraldi* ſtatuentis, DEUM quidem externè revelare myſteria regni ſui, non autem internè, quod ipſum titulo illuſoriæ gratiæ inſignivit, dum egit contra Adverſarium ſuum. Ut autem rem compendifaciamus, negamus culpari Galilæos noſtros *ob hoc ſolùm*, quod malitiosè rejecerint revelationem externam, cum culpati ſint *ob non actam pœnitentiam*, quam Chriſtus adhibito ordinario verbi legalis, & Evangelici medio, miraculis multis ſtipato, voluit in illis operari, ut ita *gratiæ intus operari volenti malit osè quoque reſtiterint*.

XVII.

Provocat in ſubſidium cauſæ ſuæ *Spanhemius* ad verſ. ſeq. 25. 26. *Cum DEUS innumeris Spiritum ſapientiæ non ſit impertitus, nec voluerit impertiri, quem indulſit infantibus, & ideo man-*

ſit

sit reliquis Evangelium occultatum, annon καλὰ τὸ βέλτιον optimo jure inde concludimus, DEUM tales noluisse servari, cum sine Spiritu illo Evangelium non possit ulli salutariter innotescere? an enim DEUS voluit illis salutare esse Evangelium, quibus novit istud salutare nec futurum, nec esse sine Spiritu suo, quibus tamen eum haud quaquam indulgere voluit. imo à posteriori à negatione Spiritus sapientiæ, ad prius, hoc est, ad negationem volitionis salvandi, jure argumentum duci potest. At quamvis non male dimicet Author iste contra suum Adversarium, de quo supra, male tamen agit, dum argumentum ad hominem formatum ratione hypotheseως suæ approbat, idque suum facit; *negamus* enim nos, *DEUM ex absoluto decreto innumeris Spiritum sapientiæ nolle impertiri*, quamvis fateamur, spiritum hunc DEUM multis non indulgere ex *justo judicio* contemtum mediorum graviter vindicante, quales sunt *Sapientes mundi* sapientiam divinam pro stultitiâ habentes, oppositi infantibus simplici fide verbo revelato adhærentibus. Non ergò, qui occultat Evangelium, ob antegressam repudiationem, & summum contemptum illud auferendo, vel homines excæcando, sed qui *antecedente voluntate*, ex *absoluto decreto* illud plurimis occultat, dicendus est nolle omnes servari; non posterius, sed prius dicitur de DEO; nec ullam sapit absurditatem, DEUM velle Evangelium salutare esse iis, quibus novit quod actu salutare futurum non sit, tale enim futurum est *non suo, vel Evangelii, sed proprio vitio*, nemo enim nisi homo ipse in culpâ est, quod ei salutare non sit; & quamvis sine spiritu salutare esse non possit, tamen eodem destituitur non absoluto decreto ejus, qui concedere potest, sed *Vitio proprio*, quo concessionem, & largitionem illius spiritus impedit. Pessimo itaque jure ducitur argumentum *à negatione spiritus sapientiæ ad negationem volitionis salvandi*, negatio enim spiritus sapientiæ spectat ad voluntatem DEI consequentem, quæ considerat hominem media salutis vel fide acceptantem, vel incredulitate, & malitia excludentem; *Volitio a. salvandi* pertinet ad voluntatem antecedentem, quæ terminatur ad hominum *salutem sub ratione mediorum ex parte DEI omnibus ordinatorum, ea intentione, ut salus omnium procuretur*, sive deinceps in-

tentioni eventus respondeat, & actu finis obtineatur, sive non. Si verò negatio spiritus sapientiæ proveniret ex absoluto odio, & præteritionis decreto simplici, nullum respectum involvente ad hominis demeritum, staret argumentum, quod formatum est; at prius ut hactenus non probavit Spanhemius, ita & in posterum nunquam probabit, quicunque ejus defensionem susceperus est.

BRENTIUS in cap. XI. Matth. p. 276.

QUare cum Christus dicit, Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, non damnat sapientiam, nec abominatur sapientes, sed potius significat suam obedientiam & patientiam animi, qua suffert sapientum inobedientiam & impietatem. Et est hæc sententia. Gratias ago tibi, quòd cùm sapientes repugnent Evangelio meo, agnoscas insipientes & abjectos homines. Optarim quidem, ut tam sapientes & præclari, quàm insipientes & abjecti homines agnoscerent Evangelium meum, & consequerentur veram salutem, sed cùm videam sapientes obsistere Evangelio, & negligere suam ipsorum salutem, ago gratias DEO Patri meo, quòd vel salutem abjectis & contemptis hominibus veritatem Evangelii mei patefaciat. Non dissimilis ferè locutio est. 2. Reg. 20. Ad Ezechiam enim dicitur: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, &c. Respondet autem Ezechias: Bonus sermo Domini, quem locutus est, sit tantùm pax & veritas in diebus meis. Non sentit Ezechias hoc esse bonum, fœlix & faustum, quòd Babylonii direpturi sint regias facultates, & filios ac nepotes suos abducturi in Babylonem, sed significat gratitudinem animi sui, quòd & si cupit ut perpetua sit regni sui stabilitas & tranquillitas, tamen siquidem hoc fieri non possit, & Babylonii omnino sint Hierusalem vastaturi, agat DEO gratias, quod vel saltem suis temporibus largiatur pacem, & servet veritatem promissionum suarum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0090
DFG

EXERCITATIO V.

de

JUDICIO LATO TUM SUPER TYRIOS ET SIDONIOS, TUM GALILÆOS. MATTH. XI.

Vidimus hactenus, & quid feciſſent Tyrii, Sidoniique, ſi vidiſſent virtutes Meſſianas, & quid fecerint Chorazitæ Bethſaidanique, qui miracula iſta viderunt, quod ſcil. illi fuiſſent acturi pœnitentiam, hi verò pœnitentiam nullam egerint, ſupereſt, ut *quale Judicium* ferat Chriſtus de utrisque expendamus, finemque exercitationibus in *locum hunc Matthæanum* imponamus; uni & alteri Theoremati negotium hoc includemus; qui fuit hujus operis Alpha, ſit etiam Omega, faveat DEUS, ut incipienti, ita & finienti!

I.

THeorema I. *Tyrii & Sidonii ab omni culpa & damnatione æternâ non ſunt abſolvendi.* Quamvis autem videri poſſit, theſin hanc extra omnem dubitationis aleam poſitam eſſe, neminemq; vitam æternam Gentilibus iſtis facilè adjudicaturum, tamen & olim & nunc ejusmodi fuiſſe fotas & adhuc foveri *hypotheſes*, quibus obtinentibus abſolvendi ſint, palam fiet. Mentionem facit *B. Auguſtinus* l. 2. de perſev. cap. 9. opinionis cujusdam, *quod DEUS mortuos ſit judicaturus etiam de his peccatis, quæ præſciverit eos perpetraturos fuiſſe, ſi vixiſſent;* ſtante hac opinione mox ſubjicit, *cur non etiam dicatur & ipſum Evangelium cum tanto labore paſſionibusque ſanctorum fruſtra eſſe prædicatum, vel adhuc etiam prædicari, ſi judicari poterant Homines, etiam non audito Evangelio, ſe-*

cundùm contumaciam & obedientiam, quam præscivit DEUS *eos habituros fuisse, si audissent. Nec damnarentur Tyrus, & Sidon, quamvis remissius, quam illæ civitates, in quibus non credentibus à Domino Christo admirabilia & signa facta sunt, quoniam si apud illas facta essent, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia Veritatis;* & paulò post; *porrò si etiam secundum facta, quæ facturi essent, si viverent, mortui judicantur, profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Evangelium prædicatum, non sunt utique puniendi.* Hanc opinionem foviſſe *Semipelagianos*, patet ex Epistola *Prosperi* ad *Augustinum de reliquiis Pelag. Hæres.* Tales, parvulos scil. quorum multitudo eis erat objecta ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. Annon huic sententiæ affines sint illi Theologi, qui statuunt, prædestinatos esse Infantes, quos Deus *per scientiam mediam* præviderit, non fuisse excussuros gratiam sub hâc conditione, *si servasset in vitâ* superstites, illisque media salutis ordinaria obtulisset, aliis dijudicandum relinquimus. *Arminiani* respectu Evangelii tres ponunt hominum differentias, aliorum qui ei crediderint, aliorum verò qui respuerint, aliorum denique, qui nihil de eo audiverint: prioribus vitam æternam assignant; secundi ordinis hominibus damnationis & ignis æterni supplicium adjudicant, tanquam solis Evangelii contemptoribus profanis, quibus adjungunt illos, qui rationis lumen suffocant, aut in injustitiâ detinent, ut liberiùs carnis cupiditates explere possint; de ultimi ordinis hominibus scribunt non imputari eis in peccatum, quod in Christum, de quo nihil audiverunt, non crediderint, id enim esse excusabile, teste Christo, qui de Judæis monita sua spernentibus dicat, *si non veniſſem, & locutus essem eis, peccatum non haberent*, (incredulitatis scil. quod obstat, ne cætera remittantur) *nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Joh. 15. 22. & revera tales non esse incredulos, hanc enim appellationem iis solis convenire, qui Evangelio sibi annunciato credere nolunt hosque medios dicunt inter fideles & infideles, pro quibus media conditio sit statuenda à regno cœlorum & damnatione æternâ diversa, in quam

reci-

recipiantur, habere enim eos legitimam excusationem, quod non crediderint, nempe quod impossibile sibi fuerit propter revelationis divinæ defectum. &c. Videatur *S. Curcellæus*, in quatern. dissert. p. 361. seq. Stante hac sententia, quis non videt, excusare se posse *Tyrios & Sidonios*, dicereque judici suo, Domine, pœnitentiam utique egissemus, & in te credidissemus, modo virtutes, quas feciſti inter Judæos, vidissemus, verbumque Evangelii ex ore tuo percepissemus, at quia denegasti nobis ejusmodi media, & revelationem, culpa, quod non credidimus, non hæret in nobis, sed in te, &c. Idem inferri posse ex sententia *Reformatorum* de occultatione Evangelii & externâ & internâ, dependente unicè ex nudo beneplacito divino, liquet ex superioribus Exercit. quomodo enim damnari possit ob impœnitentiam, cui simpliciter & ex absoluto Decreto omnia media ad pœnitentiam agendam necessaria sunt denegata, videre non licet.

II.

Assertionis nostræ veritatem agnovit dudum *B. Augustinus*. loc. cit. *Numquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent, cum eis ipse Dominus atteſtetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et tamen in die Judicii punientur, quamvis minori supplicio, quam illæ civitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Judicii, quam vobis: severius ergò punientur isti, illi verò remissius, sed tamen punientur.* Eruitur autem facilè consequentia hæc ex contextu, in quo Christus *non absolutè* loquitur de Judicio, quod sustinere debeant ob contumaciam suam Judæi, sed *comparativè*, dum Judicium illorum confert cum Judicio, quod subeundum est Tyriis & Sidoniis, Judæorumque pœnam graviorem fore quam horum, exprimit voce ἀνεκλῶτερον. Quibus ergò sustinendum est Judicium *mitius & remissius* in comparatione ad alios, gravius & rigorosius Judicium subituros, illi utique non pro plane & in totum absolvendis sunt habendi. At *mitius solùm & remissius* Judicium sustinendum erit olim Tyriis &

Sidoniis, &c. Ergo. Minor expreſſis verbis continetur in textu. Major nititur *naturâ propoſitionum comparativarum*, quæ propriè tales ſunt, negarique nequit, cum major vel minor gradus variet quidem, non verò tollat pœnam.

III.

Præter hoc argumentum quod in textu continetur, aliud latet, quod facili labore erui poteſt. Scilicet ponuntur, producunturque hoc in loco Tyrii & Sidonii, ut *Populi profani, peccatoresque* adulti, quorum malitia erat notiſſima, & in toto fermè orbe, maximè apud Judæos decantatiſſima. Ut enim aliàs Phariſæis, faſcino propiæ ſanctitatis dementatis Publicanos & notorios Peccatores Chriſtus prætulit, ita Galilæis in extremâ impietatis lineâ decurrentibus non veretur anteponere, quos communi ſenſu pro ſceleratiſſimis habebant. Quis verò neſcit, quanta inter gentiles iſtos obtinuerit Idololatria? quis ignorare poteſt Deos Sidonios, de quibus toties loquitur ſacer Codex? Numina Sidonia, ſi non ſolà, quod vult *Seldenus*, tamen longe ſuprema, fuere duo, *Baal & Aſtarte*, quorum cultum ut in genere dicuntur amplexi Judæi tempore Judicum. Jud. 10. ℣. 6. ita poſtea Rex *Achabus* fanum in Samaria *Baali* ſacraſſe, ſtatuamque erexiſſe legitur. 1. Reg. 17. 2. Reg. 10. Rex verò *Salomon Aſtartem* coluiſſe memoratur. 1. Reg. 11. Baalem nonnulli dictum volunt à *Belo* Rege Aſſyriorum, quem alii pro *Nimrodo*, alii pro ejus filio *Nini Patre* habent, & primum ſtatua conſecrata coli cœptum ſtatuunt, ut ita Idololatria inde originem traxerit, videatur *Ravanellus*, qui pro primo adinventore Idololatriæ cum *Gregor. Turinenſi* agnoſcit Patrem Nimrodi. *Seldenus* contra hoc nomine primum ſummum & ineffabilem omnium rerum Creatorem deſignatum fuiſſe, ſentit ex c. 2. Hoſeæ. v. 16. quod deinceps ad *profana Numina* frequenter nimis ſit traductum. Familiaris autem facta eſt hæc vox, & applicata ad *varia Idola*, præprimis autem obtinuit hoc nomen inter Sidonios & Phœnicios, ut enim *Bel* Idolum Babylonicum denotabat, ita *Baal* Numen Phœnicium, Sidonium vel Tyrium deſignabat; quamvis etiam hoc nomine, non attento illo diſcrimine, *Joſephus*, l. 8. A. I. cap. 7. vocarit Belum. *Solem* ſub Baalis titulo primò

primò adorasse Sidonios, quem solum in cœlis putarunt DEUM Phœnicii, *Seldenus* suspicatur, quo I multis persequitur G. I. *Vossius*. l. 2. de Idolol Gentil. c. 4. postquam in capp. præced. tum antiquitatem, tum *latitudinem* cultus Soli delati expendit. In honorem Baalis *statuas & imagines* fuisse erectas docent loca, 2. Reg. 3. 2. cap. 10. 25. 26 idipsum probant nonnulli ex Rom. 11. 2. 4. Ubi Baali apponitur *articulus fœmin. gen.* τῇ Βάαλ, qui innuat, sic supplendum, τῇ εἰκόνι vel σύλῃ Imagini vel statuæ Baalis. *Cotonus* quidem, at nullâ ratione asserit, Articulum τῇ referri ad *Astartem* Tyriorum DEAM. Probabilior est conjectura *Seldeni*, *utrumque genus* eidem nomini divûm notissimo promiscuè apponi, ita ut indiscriminatim utroq; sexu usæ fuerint Gentes, inprimis cum teste *Arnobio* adv. Gentes lib. 3. consueverint in precibus, *sive tu DEUS, sive tu DEA* dicere. Alterum, quod coluerunt Tyrii Sidoniique Numen, fuit *Astarte*; Hanc DEAM nomen suum mutuatam esse ab *Asthar* Reginâ sive Syrorum sive Ægyptiorum finxit *Philastrius*, quam Sidonii coluerint; alii pro Idolo habente figuram *Ovis*, nomenque sortitâ à *fœtura ovium*, quæ ei accepta ferebatur, agnoscunt. 70. *Interpretes* Astaroth interpretantur *de Lucis*, de ἄλσεσι; & quamvis Luci antiquitus sacris fuerint destinati, ut inde originem habeat Juppiter ἐνδενδρος, & *Diana Nemorensis*, tamen non locum arboribus consitum, sed *sculptile* quoque designari illo nomine, probatur 2. Reg. 21. ℣. 7. ubi dicitur, quod *Rex Manasse sculptile seu Idolum luci posuerit in domo Domini*; Unde nomen sortita sit DEA ista, variant authores, suspicionem movet *Scaliger*, dictam eam esse *à multitudine victimarum*; alii *à Lucis* derivant, qui præprimis fuerunt consecrati sacris, talem lucum primum inter Reges Israëliticos sacrasse legitur *Achabus*, qui publico, quod portis Samariæ affixerat, programmate vero Israëlis DEO dicitur renuntiasse. *Seldenus* Astartem distinguit à lucis dictis *Asherim* vel *Asheroth*, asseritque *simulachra lignea* Deæ isti dicata dicta fuisse lucos vel Asheroth, ut & *ad nomen* alluderetur, & tam *impari divinitatis materie* contumelia ipso vocabulo exprobraretur. *Lunam* fuisse cultam in Astarte latius deducit *Vossius*, quæ aliis dicta est ἀστροάρχη, aliis *Urania*, latinis verò *cœlestis*.

IV.

Præter Idololatriam, cui nimis erant dediti Tyrii, Sidoniique, & alia recenſentur eorum peccata. Solitos eos fuiſſe *conſulere præſtigiatores* & maleficos conſtat ex Jerem. 27. v. 3. 9. Erant gentes iſtæ *ſuperbiſſimæ*, & nimis elatæ, divitias acquiſitas per navigationes & mercaturam non DEO vero, benefactori cœleſti, ſed *ſapientiæ propriæ* adſcribebant, & in potentiâ ſuâ nimis *confidebant*, immanis quoque *luxus* obtinebat inter Tyrios, qui nihil vulgare ferebant, laborata, & exſtructa erant ædificia ex lignis pretioſis, & ex *Ebore Indico*, vel greſſibus trito, quod ſc. ab Elephantibus in terram defoditur, & in eâ per juſtum tempus pedibus tritum eſt, quod ebur teſte *Plinio* l. 8. c. 3. optimum judicatur; induebantur cives ejus *hyacintho & Purpurâ* ex Inſulis Eliſæ. Erant præterea *fœdifragi*, qui cum aliis gentibus conſpirarunt contra populum DEI, eique maximè inſultabant captâ à Babyloniis urbe Hieruſalem, ſibi verò exinde gratulabantur, ſperantes fore, ut everſa illâ Urbe ipſorum negotiationes majores ſucceſſus ſint habituræ. Ignominioſiſſimè itaque quia tractarunt Judæos, denunciatum eſt propter hæc & alia peccata Tyro & viciniæ exitium & devaſtatio, quæ ſuo tempore *ſub Alexandro Magno* ſecuta fuit, legantur capp. 26. 27. 28. Ezechielis, in quibus continetur, deſcriptio & maximorum ſcelerum, & ſummæ devaſtationis Tyrii & vicinarum Urbium; Populi itaque hi ut alii Gentiles *exſi erant* non ſolùm *Judæis*, à quibus pro famoſiſſimis habebantur peccatoribus, ſed digni irâ & damnatione æternâ, qualis enim merces conſtituta ſit pro iis, qui ejusmodi manifeſta carnis opera patrant, docet Gentium Apoſtolus Gal. 5. v. 19. 20. 21.

V.

Nec favent Tyriis & Sidoniis hypotheſes ſupra adductæ; Quod enim concernit opinionem *Semipelagianorum*, ne minimum ea fundamentum habet in ſacris, quod DEUS judicaturus olim ſit mortuos *ſecundùm ea, quæ patraviſſent, ſi ſupervixiſſent*, quæ poſitâ certâ conditione eos facturos fuiſſe præviderit, potius aſſeritur in ſacris, DEUM talem judicaturum unumquemque, *qualem ſit inventurus*. Contrariatur itaque prædicta opinio *divinæ*

Juſti-

Justitia, & constitutioni, sive consideremus mala, sive bona opera, fidem præsupponentia. Justitiæ contrarium est, damnare hominem ob peccata, quæ non commisit, imò quod *B. Augustinus* urget, si obtineret præfata opinio, esset damnandus, quem rapuit ex hac vitâ Deus in annis primis, ne malitia ejus perverteret Intellectum; *quomodo enim beneficii loco posset haberi obitus Iuvenis ideò abrepti, ne perverteretur, si ignis æterni pabulum debet fieri, qui præviſus eſt pervertendus, ſi ſuperviveret?* Constituit Deus per fidem applicantem justitiam Messianam salvare hominem, ut ita, qui non credit, damnandus sit, imò elegit ab æterno quem in tempore crediturum esse actu prævidit; at de electione sub intuitu fidei *non actu extituræ* olim & suo tempore, sed locum habituræ saltem, positâ certâ conditione, quæ tamen ipso actu non completur, in Scripturâ plane nihil deprehendimus, imò *contrarium* Christus in nostro textu, ex quo *S. Augustinus* argumentatus est, loco supra alleg. evidenter demonstrat, dum non absolvit in totum & simpliciter Tyrios, & Sidonios, sed *in tantum solùm & comparativè*, quod minus facturus fuissot, si certum esset, Deum Homines judicaturũ secundùm ea, quæ facturos esse prævidit. Et ex hac causâ *veremur accedere istis* Theologis aliàs orthodoxis, qui statuunt, quosdam infantes esse prædestinatos ob fidem & opera, non sub intuitivam, sed mediam scientiam cadentia, potius amplectimur illam sententiam, quæ communiter obtinet inter nostrates, in liberis fidelium decedentibus hac vitâ ante applicationem mediorum ordinariorum conversionis Deum *modo extraordinario* fidem excitare, ut ita ad scientiam ejusmodi mediam non sit opus confugere, qua neminem salvari & converti statuit non nemo, qui hac in parte, quod infantes concernit, ad eandem tamen ausus est provocare. Nec obstat nobis locus Apoc. 20 *cum nondum infallibiliter sciri possit, utrum juxta corporis an animarum mensuram parvi & magni ibi intelligantur*, verba sunt *Joh. Cluverii*; posito autem, quod probabilius videtur, ad staturam respexisse Apostolum, non tamen consequens est, opera existentiæ nonnisi in scientiâ Dei media parvulos habere, eaque esse scripta in librum præscientiæ illius mediæ, cum sufficiat circa de-

scri-

scriptionem Judicii universalis mentionem factam esse & *parvulorum & magnorum*, omniumque opera, qui quidem aliquid sive boni sive mali operati sunt, ipso actu esse recitanda ex libro omniscientiæ divinæ, ut ad *opera Infantium*, quæ nunquam facta sunt, *recurrere non opus sit*. Cœterùm quia prior sententia non nisi pro probabili habetur à quibusdam, eidem diutius immorari nolumus.

VI.

Altera hypothesis minus videtur tuta, de *triplici* siquidem illâ hominum *differentiâ* Sacer Codex altum silet, notissima potius est διχοτομία, qua omnes homines in credentes & incredulos, & consequenter in salvandos & damnandos distinguuntur; ut autem in *ordine credentium* & *corroboratos* & *proficientes*, imò etiam *infirmiores* dari concedimus: ita & in *serie infidelium* non minimum occurrere discrimen, extra dubium est positum, ubi licet invenire *præfractos Evangelii prædicati contemptores*, profanos, *Atheos*, lumen naturæ suffocantes, mediis pædagogicis abutentes, cum hac tamen generali clausulâ & appendice, *omnes quotquot non credunt*, damnari juxta effatum CHRISTI Marc. 16. vers. 16. & ita pro incredulis habentur non solùm, qui *positivè* tales sunt, i. e. qui media salutis ipso actu administrata malitiosè rejiciunt, sed & qui *privativè* tales sunt, i. e. qui media pædagogica, Lumen scil. Naturæ & famam negligunt, quibus DEUS ad Ecclesiam eos manu quasi ducere vult, imò iisdem abutuntur. Nec patrocinatur huic hypothesi Christus Joh. 15. ℣. 22. ubi negat, Judæos habituros peccatum, si non venisset, & locutus esset eis, *non* enim loquitur Christus ibi *simpliciter* peccatum, sed *comparatè*, non tantum, non tam magnum eos habituros; quantò major enim est promulgationis vel prædicationis Lux, tantò gravior est rejectionis culpa, videatur interim Exerc. 6. de Oblig. cred. in Christum. thes. 13. Et in hanc sententiam concedere videtur ipse *Curcellæus*, qui præfractis Evangelii contemptoribus associat eos, qui lumen Naturæ suffocant, & non eo, quo par est, studio, aut curâ Evangelium investigant. Interim hac quidem in parte Arminianorum sententia videtur esse tolerabilior præ illâ, quam fovent Contra-Remonstrantes, hi enim ex absoluto de-

to decreto ſtatuunt DEUM denegare media ad ſalutem facientia, eosque quos ſimpliciter deſtituit ejusmodi mediis, detrudere ad pœnas infernales: illi verò *difficultate non carere* autumant, dicere, quid iis futurum ſit, qui de Chriſto nihil unquam audiverunt, nec credere in eum potuerunt, & quamvis pro certo affirmare non auſint, DEUM ejusmodi homines vitæ æternæ participes facturum, inclinant tamen in *mediam conditionem* diverſam à regno cœlorum & damnatione æterna, quia legitimam afferre poſſint excuſationem, quod non crediderint, nempe quòd impoſſibile ſibi fuerit propter revelationis divinæ defectum.

VII.

Theorema ſecundum: *Conditio Tyriorum & Sidoniorum in ultimo Judicio, alteroque ſeculo erit tolerabilior, quam conditio & Status Bethſaidanorum & Chorazitarum. D. Auguſtinus* lib. 2. de perſev. cap. 10. allegat diſputatorem quendam Catholicum non ignobilem, qui noſtrum locum ſic expoſuerit, ut diceret, *præſciſſe Dominum, Tyrios & Sidonios à fide poſtea fuiſſe receſſuros, cum factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordiâ potius non eum illic iſta feciſſe, quoniam graviori pœnæ obnoxii fierent, ſi fidem quam tenuerunt, reliquiſſent, quam ſi eam nullo tempore tenuiſſent.* Sententiam Doctoris illius Catholici Auguſtinum approbaſſe ſcribit *Penottus*, ut refert *Twiſſus* de ſc. med. p. 168. additque; *hanc reſponſionem facilè videtur innuere ipſe Salvator poſt illa verba relata.* Matth. 11. *ſubjicit enim: Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die Judicii, quam vobis.* At nulla hujus rei occurrunt documenta ſive apud *Auguſtinum*, ſive apud *Matthæum.* Hoc quidem uterque fatetur, tolerabilius fore Tyriis & Sidoniis in die Judicii, quam Judæis, at ne gravius punirentur ob inſecuturam apoſtaſiam, denegata eis fuiſſe ſalutis media, neuter aſſerit. Et quamvis *Auguſtinus* ſententiam hominis, ut vocat, docti, & admodùm acuti ſuæ ſententiæ, quam tunc confirmabat, non ſcilic. judicandos eſſe homines ſecundùm id, quod facturi fuiſſent, ſi diutius vixiſſent, ſuffragari doceat, ſubjicit tamen, quod *multa adhuc merito in illa ſint requirenda.* Quod verò attinet prædictam ſententiam, refutatur ea evidenter in no-

ſtro textu, utpote in quo pro *magno, immenſoque beneficio commendatur prædicatio verbi Evangelici* ſtipata factis Chriſti admirandis, quod beneficium ſi contigiſſet Tyriis & Sydoniis, procul dubio gratiſſimo acceptaſſent animo, utpote qui auditis & viſis iſtiusmodi virtutibus pœnitentiam egiſſent, quam non egerunt Judæi; Non ergo pro opere Miſericordiæ habenda eſt denegatio mediorum ſalutis, ſed potius pro *actu Judicii divini* contemptum verbi vindicantis, vel ſi reſpiciamus ad ubertatem gratiæ, *pro actu libertatis divinæ menſuram gratiæ diſpenſantis pro beneplacito inculpabili.* Et ſi pro miſericordiæ actu eſt habendum, quod denegata fuerunt Tyriis & Sidoniis ejusmodi media, quo mitius olim tractarentur, conſequens erit, pro *immiſericordiæ actu* eſſe habendum, quod Bethſaidenſibus & Chorazinis media illa obtigerunt, quos tamen prævidit Deus non fore credituros, quia olim ſeverius puniendi ſunt. Præterea *nondum probatum eſt, Tyrios & Sidonios* à fide conceptâ ex prædicato, virtutibusque Meſſianis conſtabilito verbo *receſſuros*, eorumque apoſtaſiam à Chriſto fuiſſe præviſam, nec rei hujus ullum in textu apparet veſtigium; poſito autem, rem ita ſe habituram fuiſſe, nondum tamen evictum eſt, denegationem Mediorum beneficii loco deputandam eſſe, quamvis enim gravius peccatum ſic fuerit omiſſum, dum non apoſtatarunt Tyrii, neque media gratiæ ubertim collata malitioſè rejecerunt, adeoque mitius judicium experturi ſint, tamen *non exuit naturam beneficii actus oblatio mediorum, cum apoſtaſia*, gravius licet vindicanda, *non oriatur ex oblatione gratiæ, ſed ex proprio apoſtatantis vitio*, in quem non poteſt non Deus ſeveriſſimè animadvertere, beneficium enim æſtimandum eſt ex ſuâ naturâ, & intentione offerentis, quicquid ſit de ejus *abuſu*, rejectione & repudiatione.

VIII.

Miſsâ ſententiâ Doctoris illius Catholici, quem loc. cit. adduxit *Auguſtinus*, directè contra theſin propoſitam pugnare dicimus errorem *Joviniani*, cujus meminit *Auguſtinus* in Catal. Hæreticorum. cap. 82. *A Joviniano quodam Monacho iſta hæreſis orta eſt noſtra ætate, cum adhuc Juvenes eſſemus; Hic omnia peccata, ſicut*

sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat. An *B. Hieronymus* erroris hujus Joviniani meminerit, eundemque ei impegerit, disputant inter se *Alphonsus* de castro adv. hæres. p. 349. & *Bellarminus.* l. 1. de statu pecc. c. 4. qui valdè miratur, quid isti in mentem venerit, quod scripserit, errorem hunc nunquam ab Hieronymo Joviniano adscribi. Errorem hunc nonnulli inter *Pontificios* Scriptores imputare solent *Evangelicis*; *Georgius Ederus* in Matæolog. hæreticorum p. 212. scribit; *Jovinianus dicebat, omnia peccata esse paria,* circ. ann. 360. *Eodem tendit doctrina protestantium, non discernentium peccatum mortale à veniali.* Idem fecisse Jesuitam *Campianum,* testatur Gerhardus T. 2. L. L. pag. 726. Eandem thesin, si non expressè negare, tamen per consequentiam vellicare videntur illi, qui *gradus in gloriâ æternâ dari inficiantur,* consequentiamque à gradibus pœnarum infernalium desumptam minus tutam æstimant.

IX.

Contra *Joviniani* errorem pro peccatorum inæqualitate obtinendâ nostri hactenus uniformiter argumentati sunt ex textu nostro Matthæano, in quo ut inæquale pronuntiatur Judicium in actiones illas diversas, ita non potest non præsupponi *inæqualitas ratione commissi delicti. Brentius* ad hunc locum sic habet; *Manifestè significat Christus, quod Cives Galilææ longè majus peccatum designaverint, quam Ethnici in civitatibus Tyri ac Sidonis, & ante hos Sodomitæ, & Gomorrhitæ. Ethnici autem Tyrii ac Sidonii peccaverunt primum Idolomaniâ, deinde aliis sceleribus, quæ solent Idolomaniam comitari, ut sunt Adulteria, Homicidia, impostura & id genus alia, quæ sunt adversus secundam tabulam Decalogi, fieri enim non potest, ut rectè serves præcepta secundæ tabulæ, si primam violaveris. Sodomitæ autem peccaverunt tam horrendis flagitiis ut etiam nomina ipsa sint abominanda: & tamen Christus affirmat, Chorazitas, Bethsaiditas, & Capernaitas longe gravius & horribilius peccasse.* Consimilia habet in *cap. 10. Lucæ. Hunnius* sequentia annotavit; *Impietatem Incolarum Bethsaidæ & Chorazin per comparationem exaggerat Dominus, conferendo illam cum malitiâ deploratissimarum Gentium, Tyriorum & Sidoniorum, & quo-*

niam illas his deteriores esse deprehendit, iccircò justissimâ sententiâ gravioribus in inferno suppliciis dignas denuntiat; paulo post subjungit in *Loc. com.* discimus, *esse gradus damnationis in inferno, &c.* patet hinc *Candor Adversariorum*, qui dum nostrorum Theologorum doctrinam proponunt, Stoicorum & Joviniani errorem eis affricare conantur, quorum tamen commentum eludit *Bellarm. l. 3. de Justif. cap. 16. Lutherani verò non dicunt, (quod sciam) Virtutes esse pares aut peccata paria.* Potius inter Pontificios invenire licet nonnullos, qui errori isti aliquid affine tradidisse videntur. Videatur *Rob. Baronii disp. de pecc. mort. & ven. sect. 2.* dum verò verbis expressis dogma istud à nostris doceri demonstrare nequeunt, *ad aliud* doctrinæ Evangelicæ punctum confugiunt, ex quo per consequentiam errorem illum elici posse confidunt: est id caput *de intrinsecâ qualitate cujuscunque peccati*, dum omne peccatum suâ naturâ mortale esse fatentur orthodoxi, ex quo mox inferunt; Ergo omnia peccata sunt paria. At quantas agant ineptias, suo agnoscent exemplo; docent ipsi, peccata alia esse mortalia, alia Venialia, *sequiturne, ergo omnia peccata, quæ Pontificii habent pro mortalibus, sunt paria;* ergo omnia venalia sunt paria. Sane si nullum peccatum statueremus mortale esse, non sequeretur tamen, peccata esse paria. quomodo ergo elicient consequens hoc, peccata sunt paria, ex antecedente hoc, omnia peccata sunt suâ naturâ & intrinseca conditione mortalia. possemus hic nostra facere verba *Calvini l. 3. Instit. c. 4. §. 28. Quæro enim annon inter ea ipsa peccata, quæ mortalia fatentur, aliud alio minus agnoscant? non igitur protinus sequitur, paria esse peccata, quæ simul mortalia sunt.* Et quam inepta isthæc cavillatio sit discere possunt, & manibus quasi palpare hostes veritatis *in nostro*, quem tractamus textu, procul dubio pro mortalibus agnoscunt non solùm peccata Judæorum, sed & Tyriorum, Sidoniorumque, neque suspicio est dicturos venialiter saltem deliquisse gentiles hos Idololatriæ detestandæ, luxui, avaritiæ aliisque enormibus flagitiis deditos, agnoscant ergo unà, *posse inter peccata mortalia locum habere inæqualitatem*, nec qui omnia peccata dicit mortalia, mox inducere Jovinianam peccatorum paritatem, aut *Christum eandem statuisse* asserent, qui & Judæos istos & Gentiles licet hos mitius, illos severius puniendos pronunciavit. Non

X.

Non solùm autem disparitatem peccatorum ex hoc loco probant Doctores, sed & *diversitatem gradualem pœnæ infernalis*, quam inter Socinianos *Smalzius* infringere voluit, qui locum illum *Matth. 23. v. 15.* non literaliter sed *tropice* explicavit. Argumentum quod in nostro textu continetur, nimis est evidens, idemque dudum agnovit *B. Augustinus* supra allegatus, qui Tyrios & Sidonios remissius, Judæos verò severius puniendos esse asseruit.

X I.

Quod *gradus gloriæ æternæ* concernit, constat pro *problematicâ & curiosâ quæstione* eam haberi *à nonnullis* inter reformatos, quāvis autem multi gradus istos negent, sunt tamen, qui eos asserunt inter moderanos; pro negante certat *Spanhemius* in dubiis Evangel. pro ajente stant *Maresius in LL.* & *Ant. Cregutus* in Biurim. In specie tangit argumentum nostratium à disparitate graduali pœnarum infernalium *Spanhemius*, negatque consequentiam, quia *pœna homini peccanti sit debita, procedatque à Justitiâ divinâ, quæ debeat proportionem observare, præmium autem esse non nisi à gratiâ, quæ nemini quicquam debeat.* At agnovit nostram consequentiam *Socinus* in Epist. ad Dudith. *Certè si de pœnarum inæqualitate nullum potest esse dubium, ob id, quod scriptum est Luc. 12. v. 47. 48. non video, quamobrem de illa præmiorum inæqualitate dubitandum sit.* Exceptio non procedit, quia *non implicat*, gradus *gloriæ dari aliis de causis proximis*, quam *ipsam gloriam*, cum hæc habeat respectum præmii essentialis, illi verò accidentalis. Imbecillis quoque est ratio ab *infinitate æterni præmii*, pari enim processu everti possent *gradus pœnæ infernalis*, quæ quoque erit infinita, nec implicat, id quod infinitum est objectivè saltem & extensivè, finitum verò intensive, admittere gradus.

X I I.

Theorema Tertium. *Chorazita & Bethsaidenses ob spretam malitiosè & contemptam gratiam ubertim oblatam gravissimè punientur.* Ita quidem pronuntiat ipse Salvator, qui ut occupatus est in perstringendo extremo incredulitatis gradu, quo gratiam abundantissimè collatam contempserunt, malitiamque Ty-

riorum & Sidoniorum, quos quidem pro extremè impiis habebant, superarunt Incolæ Chorazim & Bethsaida, ita insimul *graviorem his* denunciavit pœnam. *Arminiani* dum pœnas incredulitatis examinant, eò delabuntur, ut statuant, DEUM *ex æquitate & Justitiâ teneri homini concedere & largiri Vires, ad credendum* & pœnitentiam agendum, aut secuturum, si vires illas homini non largiatur, eum *hoc saltem fine* proponere Evangelium, fidemque requirere ab homine, ut *novâ graviorique pœnâ* eundem possit afficere, cum in viribus hominis situm non sit, agere pœnitentiam, vel credere in Christum, quod ipsum tamen immisericordiam sapiat, sinceritatique divinæ repugnet; Ita autem habent verba eorum in Act. Synodal. c. 4. caput. p. 106. *Dicimus DEVM ex æquitate teneri iis omnibus à quibus post lapsum denuò obedientiam sub novâ conditione & pacto exigit, quosque ob eam non præstitam graviore pœnâ afficere vult, vires ad requisitam obedientiam præstandam & pœnam denunciatam effugiendam necessarias vel actu conferre, vel paratum saltem esse conferre à suâ parte, ita ut quod ea ipsis non concedantur actu, non per ipsum, sed per homines stet. &c.* Est ergò hæc Remonstrantium sententia, non posse graviori pœnâ DEUM plectere incredulos, nisi eisdem obtulerit media sufficientia, ad quæ offerenda teneatur ex æquitate.

XIII.

Nostra sententia quæ sit, patet non tam *ex superioribus*, quam ex modo positâ thesi, in quâ contemptum prædicationis Evangelicæ pro gravissimo habemus peccato, procul dubio enim illud peccatum erit gravissimum, quod olim gravissimâ pœnâ, eaque non substantialiter sed etiam gradualiter tali erit luendum. Pertinebant *Incolæ* urbium illarum, de quibus Christus agit, *ad populum DEI*, erant inserti per circumcisionis Sacramentum Ecclesiæ, habebant Mosen & Prophetas, quos poterant audire, sedebant in Cathedrâ Mosis Scribæ & Pharisæi, ad quorum pedes poterant informari, magnum hoc erat beneficium, taliter enim non fecit DEI ulli nationi; sed minus hoc est, si conferatur cum *novâ felicitate*, quâ poterant videre salutare Domini, quod Patres olim tot suspiriis expectabant, poterant audire, imò actu audierunt Filium DEI in assumptâ carne loquentem, qui *factus est Minister circumcisionis, ut confirmaret promissiones patribus factas, patrata* sunt inter eos miracula, quæ non nisi adventum Messiæ poterant designare, ut exinde Doctorem cœlitùs missum cum Nicodemo agnoscere & manu quasi palpare adhibitâ minima curâ potuissent; imò quod plus est, in corde erant convicti tum de *Veritate admirandorum effectuum*,

tum

tum de *sinceritate doctrinæ* propositæ, cui resistere non poterant, at omnia hæc erant frustranea, quamvis nil planè fuerit omissum quod tendere poterat in illorum conversionem. Gravissimum itaque hoc erat punctum, sive consideremus illud *objectivè* sive *subjectivè*, respuerunt siquidem Iudæi non gregarium aliquem Doctorem, sed ipsum Messiam à Patribus tantopere expectatum, aversati sunt non micas solum gratiæ, de quibus tamen Canes, Gentiles sibi gratulati sunt, sed *ipsam abundantiam*, deliquerunt non ex infirmitate vel ignorantiâ, sed *scienter, & contumaciter*, & ut pertinacia ægroti, qui omnem respuit medicinam, periculosior est ipso morbo, ita contemptus Medicinæ in cruce præparatæ pejor judicatur, quam ipse morbus spiritualis, attestante idipsum epist. ad Hebr. c. 2. v. 3. & c. 10. v. 28. 29. quibus in locis contemptus Evangelii, mediorumque salutis majorem reatum post se dicitur trahere, quam peccata, quæ contra Legem sunt commissa. Vtque inter simplicem medicinæ neglectum & pervicacem ejus contemptum non parvum est discrimen, quamvis etiam simplex neglectus mortem inducat; Sic quamvis incredulitas *negativa* sufficiens sit ad actualem damnationem, gravius tamen vindicatur *malitiosa* verbi prædicati & percepti *rejectio*.

XIV.

In discursu Arminiano notamus I *temerariam confusionem*; id enim quod quidam inter Calvinianos asseruerunt, dispositioni divinæ, & pacto Evangelico adscribunt. Quæsitio est, an DEVS fidem requirat à prolapsis in peccatum hominibus, *ut graviori obnoxios faciat pœnæ?* In Affirmantem partem propendere *nonnullos ex ordine Reformatorum* constat, quia Evangelii propositionem reprobis factam non nisi pro medio agnoscunt, quo DEVS *absolutum rejectionis decretum circa reprobos velit exequi*, quâ hypothesi stante non possumus aliter inferre, quàm ideò & *propter hunc finem* DEVM Evangelium proponere reprobis, ut detrudantur in exitium &, si oblatio mediorum sit illustrior, *graviori pœnæ* subjiciantur, pari ratione, si aliis reprobis, non enim omnibus annuntiatur Evangelium, ideò denegantur ex absoluto quodam præteritionis & odii decreto media salutis, quibus vires credendi ingenerantur; colligere licet, nonnisi hunc in finem requiri à reprobis fidem, quam ut *severius* puniantur, siquidem constat, illos ob incredulitatem damnari. Simile quid inferre solent Theologi Orthodoxi ex sententiâ *Supralapsariorum*, qui *creationem pro medio* venditant, quo absolutum reprobationis decretum DEVS voluerit exequi; unde promptum est colligere, non nisi in hunc finem esse conditos reprobos, quâ ut reprobentur, & igni infernali adjudicentur, & huic sententiæ natales suos debet assertio *Szydlovii* aliorumque, qui statuunt, DEVM ex absoluto Iure, quod habeat in hominem à se conditum sine intuitu ullius demeriti interveniens posse eundem æternæ damnationi mancipare, quod horrendum ἀπόφθεγμα plurimi quoque inter Calvinianos detestantur, & ad orcum relegant. Nos econtra negativam asserimus, dicimusque *DEVM requirere fidem eo fine, ut homo non solùm ab omni culpâ sed & à pœnâ quacunque liberetur*; est enim fides medium illud, quo satisfactio sponsoris homini applicatur & imputa-

tur

cur quasi ipse in suâ personâ eandem præstitisset; ut autem Dives, qui egeno nummum aureum vel panem offert, quo se sustentet aliunde, qui de proprio vivere nequit, non præsumendus est, intendisse, ut egenus fame pereat, qui media vivendi oblata respuit, & contemnit, quamvis interitus mediorum neglectum insequatur: Ita non est consequens, DEVM intendere hominis damnationem, dum media ad salutem facientia ei offert & vult, ut ea sibi verâ fide appropriet, homo autem eadem contemnit, rejcit, & propter rejectionem postea damnatur. Quamvis enim in *hominis viribus* situm non sit, applicare sibi, & bene uti mediis oblatis, constat tamen & hoc, DEVM ex merâ gratâ paratum esse ad collationem virium ejusmodi necessariarum. II. *Siniſtram diſpoſitionis Evangelica repræſentationem.* Videntur *Arminiani* sibi imaginari totalem deletionem & extinctionem peccatorum sub legali pacto commissorum, quasi erecto fœdere Evangelico nullus amplus locus sit dandus Legi, ejusque comminationibus. At maximè decipiuntur. Nam quamvis perfectissima Legis impletio pactique legalis observatio & præstatio per interventionem Messiæ fidejussoris generis humani contineatur, & offeratur in Evangelio, habet tamen ea in respectu ad hominem non rationem absoluti cujusdam beneficii, si sumatur in *totâ suâ latitudine*, includente quoque *actuale commodum, fructum & usum*, requiritur enim *applicatio & apprehenſio*, quâ absente ultimum satisfactionis à Christo præstitæ commodum non sentit homo, ut ita in Iudicio divino ejusmodi satisfactio incredulum & malitiosum contemptorem non protinus absolvat, sed potius teneatur incredulus, satisfactionisque Messianæ contemptor aut ad propriam solutionem vi pacti legalis, aut ad damnationem dum nullam ex se præstat solutionem, & illam, quæ pro ipso facta est, malitiosè negligit III. *Minus ſolidam collectionem;* Concedimus largiter, & contra *Reformatos* ad nauseam usque urgemus, non posse reprobos damnari ob incredulitatem, si media fidem producentia eis ex absoluto DEI decreto non sint destinata, quomodo enim damnari possit justo Iudicio, qui non credit in Christum, non solùm ex defectu propriarum virium, sed & maximè *ob denegationem virium* credendi supernaturalium ex absoluto beneplacito DEI descendentem, videre non licet; at *malè hinc infertur, DEVM teneri ex æquitate,* & justitiâ ad conferendas ejusmodi vires, cum sufficiat, eum teneri ex *promisſo liberrimo & gratuito*, fundamentum tamen suum habente *in merito Chriſti;* ita largimur quoque, DEVM non posse gravius & severius animadvertere in Chorazitas & Bethsaidenses, quàm in Tyrios & Sidonios, si illis media salutis sub tanto apparatu & splendore non fuissent oblata, sed exinde non licet inferre, DEVM ex æquitate fuisse obligatum ad ejusmodi mediorum collationem, cum sufficiat liberrima DEI dispositio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0106
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0108
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0109
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0110
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0111
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769841937/phys_0112
DFG

contradicere, qui sine exceptione nos salutaris tione
erudiri ad pietatem, justitiam & temperantiam n qui
affirmab t, ille nostræ sententiæ apertissimè suff enim
non parere eruditioni gratiæ est causa impietati ntem-
perantiæ, sequitur ex adverso, parere eruditio usam,
pietatis, justitiæ, temperantiæ, nisi quis absur velit,
fideles aliquos, & parere eruditioni gratiæ, & rere,
dum jubentur ab infidelitate ad fidem transire ; m ju-
bentur secularia desideria abdicare, vitamque h e, ju-
stitiâ, & temperantiâ transigere,

3. Transire ab infidelitate ad fidem no uma-
narum, sed Spiritus Sancti proprius effectus; idum
est, ut probatione non opus habeat. Qu bent
fidem, verè in sese habent Spiritum Sanctu tione
credunt, sine cujus virtute non possunt inum
Jesum; 1. Corinth. 12. vers. 3. Ubi autem Chri-
sti, ibi diffundit charitatem in cordibus nostri ergò
est, ut qui fidelis est, sit facinorosus, aut flagit Petrus
2. cap. 1. ℣. 3. Omnia nobis divinæ virtutis, qua tatem
sunt, donata esse profitetur; per cognitionem it nos
propriâ gloriâ & virtute. Et eâdem epistolâ e qui-
busdam, quod effugerint conquinationes mund e Do-
mini nostri salvatoris Jesu Christi. Epistola ℣ 26.
dicit; voluntariè peccantibus, post acceptam n s, non
relinqui aliam pro peccatis hostiam; sed ut est y expe-
ctationem judicii, & ignis æmulationem, sit a-
adversarios. Notandum hoc, qui voluntariè pe eptam
notitiam veritatis, non habent ullam reliquam l istum
ergò hostiam amiserunt. Quomodo ergò cred n pos-
sunt, qui Christum hostiam non habent? An re in-
Christum, quam Christum hostiam c

4. Dilemmate urgemus adversarios. fidei
intelligunt nudam historiæ de Christo n plo in-
Y elle ctu

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769841937/phys_0113
DFG